

RESPONDEO DICENDVM, quod unio per amorem sit potior & major, quam unio per intelligere: quod tripliciter declarat resolutio ex parte ipius actus. Secundò, ex parte objecti. Tertiò, ex parte modi agendi.

PRIMA VIA sic patet: nam si consideremus ipsum actum amoris, & ipsum actum intelligendi, inveniemus hanc differentiam inter hunc actum & illum, quod actus intelligendi assimilat, sed actus amoris transformat. Reprehenditur enim Empedocles, ut patet per *Philos. in lib. de anima*. Ex eo, quod voluerit animā esse compositam ex omnibus, ut cognosceret omnia. Nam, secundum ipsum *Philos.* sufficit, quod similitudines rerum sint apud animam ad hoc, ut cognoscantur ab anima: non oportet autem res ipsas secundum se esse in anima.

Ad quam sufficit similitudinem rerum esse in anima. **Q**VARE, si objectatur de divina essentia, quod non per aliam similitudinem, sed per seipsum sit apta nata perfectè cognosci: Dicimus, hoc non esse, quod perfecta cognitione non possit esse nisi per similitudinem: sed quia divina essentia est pura forma nihil habens de potentialitate admixtum. Immo per aliam expressionem formæ, quam per seipsum essentialiter cognosci non possit: Tamen si res essentialiter cognosci possit per aliquam expressionem formalem aliam à seipso, non erit inconveniens perfectiore esse hujusmodi cognitionem, quam sit ipsa cognitione per essentiam: unde *Aug. 11. de civit. Dei cap. 29.* loquens de cognitione Angelorum dicit, *Quare Angeli ipsam quoque creataram melius vident in Dei sapientia quam in seipsa, & seipso*, ibi, scilicet in Dei sapientia, melius sciunt. Arguat ergo sic: Angeli seipso in seipsis cognoscunt per essentiam suam: In Deo autem se cognoscunt per essentiam Dei, quæ est repræsentatio omnium: Potior est ergo cognitione essentiæ Angeli per essentiam Dei, quam per seipsum.

Sufficit ergo ad intelligere, quod hoc fiat per formalem expressionem rei. Intellectio ergo quantum est de se assimilat: sed amor transformat; Sufficit

enim intelligenti, quod habeat similitudinem intelligibilem, & quod habeat formalem expressionem ejus.

Sed hoc non sufficit amanti: sed amans vult se omnino conjungere amato, & vult se facere id, quod ipsum, & quantum potest, se transformat in ipsum. Si ergo intellectus, secundum quod hujusmodi, vult præsentiam intelligibilis, hoc est, propter ipsam intellecionem, ut quia fortè non potest id intelligere plenè, nisi per præsentiam ejus. Vt, si id intelligibile non habeat aliam formalem expressionem, aut quod per nihil aliud possit essentialiter intelligi, quam per seipsum: sed amans, secundum quod hujusmodi, non vult præsentiam amati solùm propter ipsum amorem: enimvero propter ipsam rem amatam, cui, quantum potest, vult se conjungere: imo, secundum quia per illud amatum se vult se transformare: ideoque est, quod unire & transformare amori approprientur, ut illud se quia per in re amata, si transformare patet per *Dionysium 4. cap. de divinis non minibus*, recitante verba Hierochea, quod omnis amor est quædam virtus unitiva: Dicentemque amorem sive divinum, sive Angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem, unitivam quandam dicimus esse virtutem. item & Dionysius ostendit ibidem, Quare amor transformet, quia scilicet ponit amantem extra se, & collocat ipsū in re amata, dicens, quid est autem extasim faciens divinus amor non dimitiens sui-iporum esse amatores, sed amatorum, Divinus ergo amor, id est amor, quo diligimus Deum, est faciens extasim, id est ponens amantes extra seipsum, non permittens eos amare, si ve ipsos amantes esse sui-iporum, sed facit eos esse amantes amatorum, id est, rerum amatarum. Amor enim non permittit, quod amans sit sui-ipsum, sed cogit amantem esse rei amatae, quare, si transformare nos in Deum, &, quantum in se est, quid idem facere cum eo sit multo major, quam quæcumque alia unio nostri ad Deum; consequens est, quod per amore multò magis simus apti nati uniri Deo, quam per intelligere.

SECVNDA VIA ad hoc idem sumitur ex parte objecti: & ex hoc pate-

bit solutio argumenti in contrarium. Petebat autem argumentum id, quod est in contrario; arguebat enim oppositum, non propositum, verum est enim, quod in diligendo sit motus animae ad res, & quod objectum amoris sit res, ut est in seipso: in intelligendo vero sit motus rerum ad animam; intelligitur enim res secundum quod est in nobis; diligitur autem, ut dicebamus, prout est in se ipso.

Ex his enim verbis, quibus innubatur argumentum, volens ostendere, quod intellectio plus nos uniat rei intelligibili, quam amor rei amatæ, non arguebat propositum, sed oppositum. Nam, si Deus etiam in patria intelligetur, secundum quod erit in nobis: & diligitur a nobis, ut est in seipso; consequens est, quod per intelligere uniemur Deo secundum quod erit in nobis, & secundum modum nostrum: sed per diligere uniemur ei ut ut est in seipso, & secundum modum divinum: & quia unio ad deum, secundum modum divinum, est multò potior & major, quam unio ad ipsum secundum modum nostrum, consequens, est, quod unio per amorem erit potior & major, quam unio per intelligere. Ex parte ergo ipsius objecti divini, quia diligitur ut est in seipso; intelligetur autem ut erit in nobis, patet verum esse quod dicitur.

TERTIA quidem via sumitur ex parte modi agendi. Nam ea, quæ sunt priora origine, sunt posteriora perfectione. Vnde & Aug. 12. confes. Distinguit inter prius origine: & prius electione: Nam origine & tempore flos praecedit fructum: Electione vero fructus florem. Sic etiam secundum eundem ibidem & in pluribus alijs locis, et si non tempore; saltem origine: semper informe praecedit formatum, nulli tamen dubium quod electione & perfectione formatum praecedat informe: eo ergo ipso quod, secundum modum intelligendi & amandi nostrum, unum praecedat aliud hoc est, quod intelligere origine praecedat amare. Quia bonum apprehensum est objectum voluntatis: ut dicitur in 3. de anima) Consequens est, quod unio per amorem sit potior & perfectior. Vtique ergo modo uniemur rei; per intelligere & amare:

sed hujusmodi unic in intelligendo inchoatur, sed in amore consummatur: origine praecedit unio per intelligere: sed perfectione praecedit unio per amare. Potior est ergo unio per amorem, quam per intelligere: sicut consummatum est potius quam inchoatum.

Vnde & *philosophus in 8. phys. probat*, motum localem esse perfectiorem Vnde etiam motus loca- omnibus alijs quia est post omnes alios. lis est per- Puer enim primo generatur, deinde fetissimus alteratur; postea augmentatur, ultimo inter motus autem agit, pergit, & localiter movetur; naturaliter enim videmus, quod eatur de imperfecto ad perfectum, de informi ad formatum: ut semper posteriora origine ceteris prioribus sint priora perfectione. Unio ergo illa per intelligere perfectissima erit in genere suo; sed unio per amorem simpliciter erit perfectior. Illa enim unio, scilicet, per intelligere, erit prior origine, haec autem prior perfectione.

AD ARGUMENTVM in contrarium dicendum, quod uniri rei, secundum quod est in seipso, quod facit amor, non sit uniri extraneè: quia amor, quantum est de se, transformat & vult idem facere amantem cum amato. Uniri ergo rei, ut est in seipso, pro ut in ipsam rem transformamur, non est uniri rei, ut est extranca: sed magis ut est eadem: Propter quod non concludebat argumentum.

ID ETIAM quod obijciebatur ad probandum propositum, quod unio per amorem esset major, sophisticum erat: nam ille idem Hugo, qui dicit, *quod intrat amor ubi foris stat scientia*, Ait, *quod prevaleat quidem intellectus*, *Sequitur autem tardus aut nullus affectus*. Potest enim contingere quod intret amor ubi foris Quomodo intret amor stat scientia in *ubi foris* deum per essentiam: non intelligimus autem ipsum intellectu essentiali, sed solum per creaturas. Intrat ergo amor quia pertingit usque ad diligere deum per essentiam, ubi foris stat scientia, quia non pertingit essentialiter, nisi usque ad creaturas. Potest etiam contingere, quod prevalcat intellectus, non tamen sequatur affectus; Quia multa de divinis intelligimus, & de bonis moribus, ad quæ modicum afficiimur.

Argumentum ergo id vel non arguit simpliciter; vel arguit de eo quod est in via; ubi foris stat scientia, quia non possumus in via videre deum per essentiam, sed licet argumentum id simpliciter non concludat; tamen quantum ad id, quod erit in patria concludit simpliciter: natura simpliciter verum est quod in patria unio per amorem erit perfectior.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI SEXTA

Vtrum esset possibile quod aperte quis videret Deum & non diligeret ipsum?

Hanc questionem tractant Argent. r. d. 1. q. 2. a. 1. & 3. Gerard. Sen. q. 4. Alph. Thol. q. 5. & 7. a. 3. Egid. de present: tom. 2. l. 11. q. 10. a. 6. Th. 1. 3. q. 4. a. 2. & q. 10. a. 2. & 1. p. q. 8. 2. a. 1. & de ver. q. 22. a. 6. Cas. jet. cum Thom. lo. cit. Scotus r. d. 1. q. 4. & d. 49. q. 6. cum suis. Durad. 4. d. 48. quæst. 2. & d. 49. q. 8. n. 16. Occan. 1. d. 1. q. 6. Gab. ibid. a. 2. Capr. ibid. q. 3. a. 1. Suar. 1. 2. q. 4. a. 3. d. 12. Val. Tom. 2. d. 1. q. 4. Vasq. 3. 2. d. 16. c. 2. & alij alibi.

Ægidius verò hic relatis, opinionibus, quid & quomodo tractaturus sit? exponit sub initium textus. & s. hoc ergo.



ECVNDO Quærebatur de creaturâ rationali in ordine ad deum: Vtrum esset possibile quod aperte videret deum, & non diligeret ipsum? Et arguebatur quod sic: Nam quæcunque sunt diversa, ut dicebatur possunt ab invicem separari: sed intelligere differt realiter à diligere; ergo saltem virtute divina posset unum separari ab alio: ut quod videns deum nō diligeret ipsum.

IN CONTRARIVM est, quod illud sit summum diligibile. Videtur autem omnino impossibile, quod videns summè diligibile non diligit ipsum.

RESOLVTO.

Cum velle sit aliquo modo de essentia ipsius intelligere: quandoquidem sit voluntatis coniungere obiectum & speciem eius intellectui; & hinc recte concludi possit, intellectum non posse esse in actu, quin etiam aliquo modo sit voluntas, omnino dicendum est impossibile esse aperte videntem Deum ipsum non diligere.

RE SPONDEO dicendum, quod de hoc sint opiniones. Voluerunt enim quidam, quod saltem virtute divina fieri posset, quod videns denum per essentiam non diligenter ipsum; quia, ut aiunt: possit deus ipsam voluntatem tollere, quod si fieret ita, esset ibi actus intelligendi, quod non esset ibi actus volendi, veldiligen- di.

HOC ERGO modo procedemus quid, & in hac quæstione: primo ostendemus, quomodo tractandus quod aliquid, quod non est de ratione rei secundum se, vel quod origine est posterius, sit tamen de ratione rei, prout habet esse in se actu. Secundo declarabimus; quod licet diligere sit posterius quam intelligere tamen nisi esset intentio voluntatis copulans, nihil contingat intellectum intelligere aut non conveniret intellectui intelligere: propter quod, velle sit de ratione ipsius intelligere, non secundum se, sed ut in effectu: vel sit de ratione ipsius, accipiendo, esse de ratione, largè, prout id de ratione alterius est, sine quo id esse nō potest: & quia non contingit aliquid intelligere nisi concurrat ibi intentio voluntatis; ideo dicatur quod velle sit de ratione prioris. Tertio declarabimus, quod ista non possint stare, quod contingeret nos velle intelligere deum absque eo quod diligamus ipsum.

PRIMVM autem sic declaratur: dicimus enim, quod esse non sit de ratione ipsius essentiæ: & tamen secundum quod essentia est in actu, esse sit de ratione ejus; quia non potest fieri essentia esse de ejus ratione, non est de ejus ratione.

^{a. quod vel-}
te fit esse-
tia alicuius
quod non
est de ejus
ratione.

^{Quia im-}
pressio spe-
ciei non su-
scitat

^{Nisi per vo-}
luntatem
applicetur,
^{cujus est}
conjugere
potentiam
objecto vel
speciei aut
sejungere,

SECVNDVM autem sic ostendi-
tur, quia nisi esset intentio voluntatis
copulans parentem proli; nihil omnino
contingeret intelligere. Nam non suf-
ficiet quod fiat impressio in ipsa po-
tentia cognitiva, nisi per intentionem
voluntatis feramur supra ipsam impres-
sionem. Nam si aperiretur oculus
dormienti, fieret impressio lucis in ip-
sum oculum; ille tamen nihil ex hoc
videret: ex eo quod per intentionem
voluntatis non ferretur supra ipsam
impressionem. Vnde Aug. 11. de trini.
cap. 8. & 9. istam materiam pertractans
primo in 8. cap. dicti libri, Ostendit
quod voluntatis sit omnia conjungere,
& disiungere: unde ait, *voluntas porrosicut
adiungit sensum corpori, sic memoriam sensu:
sic etiam adiungit aciem cogitantis memorię.* Quae autem conciliat ista & conian-
git, ipsa etiam disiungit & separat. Vult ergo
quod & disiungere conjungere potestias
& suis objectis pertineat ad voluntatem.

Ad eandem voluntatem pertinet non
solum potentiam conjungere suo objec-
to, sed etiam disiungere quod fit in
ipsa potentia ab ipso objecto vel à specie
objecti: ut si ab ipso sensibili imprima-
tur aliquid sensui, concurrit ibi inten-
tio voluntatis copulans id quod est
impressum & à quo est impressum: &
si à specie in memoria sit species in
aciem cogitantis, concurrit ibi
intentionis voluntatis copulantis, prolem
parenti, & speciem in acie speciei
memoriae.

QVÆREMVS autem ad quid re-
quiratur ibi intentio voluntatis? Quod
si dicatur, propter impressionem fiendam
in ipsa potentia cognitiva, vel
propter conservandam ibi talem im-
pressionem, patet falsum esse per ex-
emplum, quod posuimus de homine
dormiente: Quia si aperiatur oculus
dormientis, objectum imprimet in
hujusmodi oculo similitudinem suam,
& conservabit eam ibi, sicut imprimet
eam in medio, & etiam conservat,
nec tamen propter hoc erit ibi visio,
quia dormientes non vident, licet som-
nient se videre. Requiritur itaque
intentio voluntatis non solum propter
impressionem aliquam caussandam
vel conservandam, sed etiam propter
judicium fiendum de re cognita.

QVINTVM

DICEMVS ergo quod intentio vo- Idque tri-
luntatis ad cognitionem habendam plici de-
de re aliqua possit requiri propter ^{causa.}
tria; videlicet Propter debitum ordi-
dinem, Propter debitam actualitatem,
& propter debitum judicium.

Propter debitum quidem ordinem:
Quia potest quis per intentionem vo- ^{1. propter}
luntatis avertere sensum à re sensibili, debitum ^{ordinem,}
ut avertere, vel claudere oculos, ne ^{ordinem,}
videatur visible, & aures, ne audia-
tur audibile, & sic de similibus alijs
ut patet per Aug. 11. de trini. cap. 8.

Requiritur etiam intentio volun-
tatis non solum propter debitum or-
dinem: sicut patuit in sensu: sed
etiam propter debitam actualitatem, ^{2. propter}
sicut patet in intellectu; nam licet debitam
in intellectu sint multæ species, nulla ^{actualitatem,}
tamen est tantæ actualitatis, quod pos-
sit de se caussare actum intelligendi,
nisi per intentionem voluntatis fera-
mur super fantasma, ut fiat species il-
la magis in actu, sicut appetit in nobis
vel etiam in Angelis: nisi enim An-
gelus per intentionem voluntatis fer-
retrum super hanc speciem determi-
natè, non caussaretur in intellectu ejus
per hujusmodi speciem actus aliquis
intelligendi.

Tertiò requiritur intentio volunta- ^{3. propter}
tis propter debitum judicium. Nam ^{debitum ju-}
licet per intentionem voluntaris pos- ^{dicum:}
simus sensus nostros convertere ad ^{qua non}
sensibilia, & habere debitum ordinem ^{accidere;}
ad ipsa: & licet per hujusmodi in- ^{intentionis vo-}
tentionem possit intellectualis creatu- ^{luntatis,}
ra se convertere super fantasma, sicut
apparet in nobis: vel super speciem
intellectualem, sicut contingit esse in
Angelis: & ex hoc conferre illi spe-
ciei quendam modum actualitatis:
Datò tamen, quod esset ibi debitus
ordo, debita actualitas; & ex hoc
fieret impressio in ipsa potentia cogni-
tiva: nisi concurreret ibi intentio vo-
luntatis, non esset ibi debitum judi-
cium per hujusmodi impressionem.
Vnde simile esset si fieret impressio in
medio, vel si impressio fieret in oculo
dormientis, ubi nullum esset judicium
de re cognita: unde Aug. 11. de trini.
cap. 9. tam in sensu, quam intellectu de-
clarat, oportere concurrere intentio
voluntatis: Vnde ait, à specie corporis
quod

quod cernitur, oriatur ea species, que fit in sensu: & ab hac, que fit in memoria, gignitur species in acie cogitantis: quapropter, ut subdit, voluntas parentem cum prole copulat, primo speciem corporis conjungit cum ea, quam gignit in sensu, & ipsam cum ea que fit in memoria, istam in memoria factam cum ea que partitur in intuitu cogitantis: & sicut est in sensu: ita est etiam in intellectu, ut sine intentione voluntatis conjungente parentem proli nihil intelligere possimus. Nam etsi esset ibi hujusmodi impressio sine intentione voluntatis, nullum tamen esset judicium de hujusmodi impressione.

Non implicaret ergo conditionem, quod fieret impressio à divina essentia in potentia nostra intellectiva: & quod conservaretur ibi hujusmodi impressio, absque eo quod concurreret ibi intentio voluntatis: sed quod de illa impressione esset in nobis aliquod judicium sine intentione voluntatis, quantum nobis occurrit, esse non posset sine implicatione contradictionis.

SICVT ERGO diximus de sensu & de oculo dormientis, quod possit ibi fieri impressio, & etiam conservari, sed non esset ibi visio, quia non esset ibi judicium de re impressa, quia non concurreret ibi intentio voluntatis; Sic dicemus de intellectu, quod si deus caussaret impressionem aliquam derivatam à sua essentia in nostra potentia cognitiva, & conservaret ibi impressionem illam, si non concurreret ibi intentio voluntatis, nullum esset ibi judicium propter hujusmodi impressionem. Igitur esse non potest quod intelligamus aliquid & non concurreret ibi intentio voluntatis: nam intelligere, vel cognoscere non dicit solam impressionem in potentia cognitiva, quia hoc modo ipsum medium cognosceret: sed etiam dicit judicium per hujusmodi impressionem, quod sine concursu intentionis voluntatis fieri non potest.

Imaginabimur quidem, quod licet intellectus, quantum ad primam suam immutationem, immutetur quasi naturaliter; utputa si aliqua assuefactio ne cogitandi fiat aliqua immutatio in fantasia, & ex hoc fiat immutatio in intellectu, ut non sit in potestate nostra quid nobis veniat in mentem;

attamen nisi concurreret ibi statim intentio voluntatis, non fieret aliquod judicium per hujusmodi impressionem: & propriè loquendo nulla esset ibi cognitio. Naturale est enim, quod ad impressionem factam in intellectu statim concurrat ibi intentio voluntatis, ut per hujusmodi intentionem concurrentem judicemus de illa impressione: Potest equidem contingere quod hujusmodi intentio sit fortis vel debilis; ut cum sumus intenti ad unum sensum, ita debiliter possemus ferri super impressionem factam in alio sensu, ut non videremur nobis sentire. Secundum illum sensum sentimus quidem; sed quia debilis fuit ibi intentio voluntatis, nihil ex hoc fuit repositum in memoria: ideoque vide mur nobis nihil sensisse. unde Aug. 11. de trinit. cap. 1. ait Quod facile est, quod cum, coram loquente nobis aliquo, aliud cogitamus, non audisse nobis videamur. Et subdit, quod falsum sit: Immo audivimus, sed non meminimus alienati actu voluntatis, per quem infigi solent memoria. Verius itaque, ut ait, cum tale aliquid accidit, & melius dicimus; quod non meminimus, quam non audivimus.

Hoc itaque modo salvabimus verba Augustini. Quod cum cogitamus aliquid aliud, aliquo coram loquente nobis, debilis sit ibi intentio voluntatis. & ideo debilis sit auditio; ut ex hoc nihil reponatur in memoria. Sed si nulla esset ibi intentio voluntatis, nulla esset ibi auditio. Potest autem fieri impressio in sensu: sed nulla fit ibi sensatio vel judicium de re sensata sine intentione voluntatis. Eodem etiam modo ex parte potentiae intellectivae potest fieri impressio in intellectu: sed nulla erit ibi intellectio, vel nullum erit judicium de re intellecta, nisi concurrat ibi intentio voluntatis.

OSTENSO quod, nisi concurreret in intelligendo intentio voluntatis, posse intel nihil intelligeremus, vel nullum ha beremus judicium de re intellecta in actu, quin per hoc patefactum est, quod non quo modo possit esse intellectus in actu suo, nisi sit voluntas aliquo modo voluntas in actu suo; quamvis illud praet tametsi Generatione vel origine actus dat origines intelligendi præcedat actum volendi; non tempore. Tempore tamen vel duratione non

præcedit ipsum imo statim ad impres-
sionem factam in potentia cognitiva
concurrit ibi intentio voluntatis ut ha-
beatur judicium de re cognita. Hæc
enim tria, videlicet impressio facta in
potentia cognitiva, intentio volunta-
tis concurrens ad hujusmodi impressionem,
& judicium de re cognita per ta-
lem impressionem, possunt ad se-invi-
cem prioritatem habere secundum ge-
nerationem & originem, non autem
secundum tempus & durationem:
Quia si tempore se præcederent; &
prius tempore fieret impressio in po-
tentia cognitiva quam concurreret
ibi intentio voluntatis, ex tali im-
pressione nulla ibi propriè esset cogni-
tio; quia nullum proprium esset ju-
dicium de re cognita.

Quare etsi velle, & per voluntatem
intendere sit origine posterius quam in-
telligere, & ex hoc non sit de ratio-
ne ejus secundum se; tamen est de
ratione ejus, modo, quo dictum est,
quia non contingit intelligere aliquid
nisi concurrat ibi velle, & intentio vo-
luntatis. Fit quidem naturaliter prius
impressio in intellectu, quam fiat im-
pressio in voluntate: Sed illa impressio
in intellectu non meretur dici intelle-
ctio, nisi accedat intentio voluntatis:
ideo nihil contingit intelligere, nisi con-
currat ibi intentio voluntatis: non qui-
dem negamus, quin, licet non possit
fieri intellectio sine intentione volun-
tatis, origine prius fit intellectio
sive actus intelligendi, quam actus
volendi: sed dicimus quod non sit prius
tempore vel duratione.

V E R V M non quiescat forte
aliquis pertinaciter afferens quod
possit esse intellectio, dato quod
non concurrat ibi intentio voluntatis,
aducens pro se verba *Augustini l. ii.
de tri. cap. 8.* ubi planè videtur velle,
quod sine intentione voluntatis fiat
visio: sed quod nihil ex tali visione in
memoria reponatur: ut audiens vel
videns aliquid, illud non audivisse vi-
deatur, vel non vidisse; unde secundum
Aug. falsum est nos non audivisse, vel
non vidisse; sed verum est nos non
meminisse.

Propter quod sciendum quod, ut
prius diximus, impossibile sit esse ju-

dicum de re aliqua sine intentione
voluntatis. Nam quod aliquis dicatur
judicare de aliquo, ad quod nullo mo-
do est attentus, vel intentus, est omni-
no falsum. & quilibet in seipso ex-
peritur hoc esse impossibile. Dicere
autem quod nos intelligamus aliquid,
de quo nihil judicamus, nec judicare
possimus, est omnino ridiculum:
nullus enim diceret se intelligere ali-
quid, de quo nihil sciret, vel posset
judicare, utrum se haberet sic vel
aliter?

Verba autem *Augustini* exponi pos-
sunt, ut superius exposuimus: naturale
est enim, ut diximus, quod ad im-
pressionem factam in potentia cogni-
tiva concurrat ibi aliquiliter intentio
voluntatis: licet non sit naturale per-
sistere, vel non persistere in tali in-
tentione, quia potest quis aī hoc se
pro voluntate convertere. Quare fal-
latur dictum *Augustini*, quod intentus

Sensu mal-
tum occu-
pat circa
non sensisse secundum alium sensum; alia debili-
tatur non tollitur intentio voluntatis, tentio vo-
luntatis,

Redeamus ergo ad propositum, &
dicamus; quod non possit esse judi-
cium de re cognita si non concurrat
ibi intentio voluntatis. Iste tamen que est
concursus est quasi naturalis, ut non quasi nat-
urales; & sit semper in potestate nostra prohibe- quare
re tale velle. Possimus quidem per
voluntatem nostram persistere vel non
persistere in tali intelligere: sed sicut
non est in potestate nostra quid nobis
veniat in mentem, ita non possumus
simpliciter prohibere motus voluntatis,
qui consequuntur, ad illos intellectua-
les motus. Sed si virtute divinâ, &
per miraculum, sic fieret motio in
intellectu, quod nulla ex hoc fieret
motio in voluntate; nullum esset ju-
dicium per illam motionem vel im-
pressionem; perconsequens non esset
ibi propriè intellectio: Quare declara-
tum manet quod non sit intellectio Hinc non
fine volitione. Tempore enim & dura- contingit
tione ista sunt simul, licet generatione, intelligi
Deum, absque que eo
vel origine unum aliud præcedat.

HIS AVTEM prælibatis volumus declarare, quod, sicut non contingit in probatur
telligere deum sine velle intelligere, & 3 vijs
absque

absque eo quod concurrat ibi intentionis voluntatis; etiam non convenit intelligere deum sine diligere ipsum. Est enim ibi tria considerare, videlicet, deum, qui intelligitur, nos, qui intelligimus, & modum intelligendi.

TRIPLECTER itaque declarabitus hanc veritatem. Primo ex parte ipsius intelligibilis, secundo ex parte modi intelligendi, tertio ex parte ipiorum intelligentium.

r. ex parte
Inteligibilis, quia si
huius appetiti
ratione sub
ratione boni
malum.
est præter finem, præter intentionem
præter voluntatem: nihil enim præ-
stituit sibi finem malum in eo quod
malum: vel intendit malum, sive vult
malum, secundum quod hujusmodi: ita
quod malum non agat, nisi in virtute
boni; ut ibidem *Dionysius* ait. Si enim
malum moveat voluntatem, hoc est
ratione boni: ut quia apprehensum
sub ratione boni est motivum voluntatis;
ut declarari debet in *tertio de anima* id ergo, quod nullo modo potest
apprehendi sub ratione boni, nul-
lo modo, secundum quod hujusmodi,
potest esse appetibile: ideo de
necessitate nullus vult esse miser:
quia miseria, secundum quod hujusmodi,
non potest apprehendi sub
ratione boni. Sic etiam de nece-
ssitate quilibet vult esse beatus, quia
beatitudo, secundum quod hujusmodi
non potest apprehendi sub ratione
mali: ideoque de necessitate est volita.
Propter quod *Aug. 13. de trin. cap. 3 &*
4. 11. de ciu. dei. 27. cap. & 10. confess.
cap. 12. Hanc declarat veritatem, quod
omnes necessario velint esse beati, &
nulli miseri.

Posset quidem contigerere quod non
diligeremus deum indirectè, ratione
fortè difficultatis pervenienti ad ipsum,
sicut dicitur aliquis indirectè nolle
sanitatem, quia non vult potionem
amaram; per quam inducitur sanitas;
vel fortè posset quis non diligere deum
indirectè, quia nesciret quantum bo-
num sit deus: sed si videremus deum
clarè, & jam pervenissimus ad ipsum,
quia non possit apprehendi, nisi sub ra-
tione boni, non possemus non dilige-

re eum. Nec valet quod aliqui dicunt,
quod posset deus ipsam voluntatem
moveare à nobis: quia ut est per ha-
bita declaratum, non contingit nos
aliquid intelligere, nisi concurrat ibi
intentio voluntatis.

Secundò hoc idem patet non solum ex parte ipsius intelligibilis: sed etiam ex parte modi intelligendi; nam, ut intime in probat *Philos. in primo rhetoriconum.* Mu- Deum fer-
tari est delectabile, quia ipsa natura mur, in cu-
est mutabilis: vel, ut utamur proprijs tione nulla
uerbis, ejus transmutare est delecta- est delecta-
bile, quia in natura fit transmutatio: bility.
modus autem intelligendi deum est ut
intime feramur in ipsum: unde & illa
visio non erit transmutationi subiecta,
nec mensurabitur, tempore, sed ævo.
Ratione ergo modi intelligendi dele-
ctabile semper erit esse in deo, & nun-
quam nos avertere à deo; quod non po-
terit esse sine delectatione de Deo. Ad
hoc autem valet quod dicitur in psal-
ms; *Beati qui habitant in domo tua domine:*
in sacula saclorum laudabunt te. Et quod
dicit *Aug. 10. confess.* amor qui semper ar-
des, & nunquam extingueris: claritas deus
meus beati enim in sacula saclorum lauda-
bunt te dominum. Quia intime ferentur
in Deum, ut non sit illa visio trans-
mutationi subiecta. Propter quod nun-
quam voluat se avertere à Deo: sed
semper ardebit in eis divinus amor.

Tertio hoc idem patet ex parte ipso- 3. ex parte
rum intelligentium: nam intelligentes intelligen-
& videntes deum per essentiam vide- tium, qui
bunt, quod bonum eorum magis sit in suum longum
Deo, quam in seipsis: sicut ergo per magis esse
se loquendo nullus potest non diligere in Deo quia
re seipsum: sed omnes diligunt seipso- in seipso.
esse: sic, quia videbunt, quod eorum
esse magis reservetur in Deo, quam
in seipsis: & quia videbunt quod Deus
erit magis intimus eis, & magis faciet
ad conservationem esse eorum, quam
ipsi sint intimi sibi, & quam propria
natura faciat ad conservationem sui
esse; Sicut nullus potest non diligere
seipsum, ita multò magis nullus videns
Deum, poterit non diligere Deum.

Potest autem aliquis velle non esse Quomodo
per accidens ratione miseriae sibi an- Posit ali-
nexae: secundum quem modum lo- quis velle
quitur *Aug. 11. de ci. cap. 26.* dicens non esse:
quod, qui miseri sunt volunt interire:

QVODLIBET QVINTVM.

cum se miseris esse sentiant, non ut
seipso deleant: sed miseriam potius
aufferi volunt. Per se ergo quilibet
vult seipsum esse: & quilibet seipsum
diligit: istud autem per accidens,
propter quod possit seipsum velle non
esse, non poterit esse in visione dei,
ubi nulla miseria, & nihil poterit esse
retractivum à dilectione illa.

AD ARGVMENTVM autem in
contrarium dicendum , quod licet
illa sit. diveria : unum tamen non
possit esse in effectu sine alio : nam
non potest esse intelligere sine velle,
nec è converso : nisi fortè vellemus
sumere , intelligere , valde impropriè,
verbi gratia , quo dicemur intelligi-
gere aliquid , absque eo quod habere-
mus aliquod judicium de illo ad judi-
candum. Ergo dici oportet quod
concurrat ibi intentio voluntatis , quia
saltē concomitativè oportet ibi talem
intentionem adesse.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI SEPTIMA.

Vtrum de his, quæ sunt fidei, possit fieri aliqua ratio in contrarium, quæ non sit solubilis ab homine sine speciali influxu dei?

Translata est hec qu. in 3. Sent. d. 23. p. 2. q. 2. pr. 2.
un. & decidi oportet ex & auctoritatis partim prima p.
q. 1. a. 8. & in primum q. pro x minali, ub. tractant, an
possit esse scientia de articulis fidei & vel simile. & 1. 2.
ubi agunt de evidentiâ fidei sed speciatim eam exami-
nant D. Th. I. cit. Calet. 1. p. a. 8. Zumel ibid. d. ult.
Val. d. 1. q. 5. & p. 3. §. 4. Granad. 1. p. q. 1. d. 9. Gil-
lius l. 1. tr. 4. c. 10. Coninck de act. supern. d. 11. dub. 2.

Aegidius Verò hic eam traçlat iuxta ordinem & partitionem initio textus positam.

lis ab homine sine speciali influxu
dei?

ET ARGVEBAT VR, quod omnes tales rationes sint solubiles ab homine : Quia omnes rationes tales contra fidem factæ sunt falsæ & defœctivæ & per rationem potest apparere earum defectus : ergo &c.

IN CONTRARIVM est quia secundum Philos. in 3. metaphysica. Solutio dubiorum est manifestatio veritatis: si ergo omnes rationes factae contra fidem essent solubiles ab homine, veritas fidei posset manifestari per hominem: hoc enim posito, ut videtur, sufficienter possemus declarare & probare veritatem fidei.

R E S O L V T I O.

Omnes rationes factae contra fidem per hominem sunt solubiles ab homine, licet non omnes ab hoc vel illo homine: neque probatur per hoc veritas fidei sufficienter.

RESPONDEO dicendū , quod
hoc ordine procedemus in hac
quæstione : quia primò declara-
bimus , quod omnes rationes factæ per
hominem contra fidem sint solubiles
ab homine. Secundò ostendemus , quod
non sit possibile , quod iste homo vel
ille , quantumcumque perspicacis in-
genij , sine divino influxu speciali
possit omnes tales rationes solvere.
Tertiò declarabimus , quod , datō , quod
omnes tales rationes solverentur , non
propter hoc possemus sufficienter de-
clarare vel probare veritatem fidei : in
hoc enim casu , ut patebit , non habet
veritatem illud dictum Philosophi , quod
solutio dubiorum sit manifestatio ve-
ritatis.

PROPTER primum sciendum, quod licet quoad nos quædam falsa possint esse probabiliora quibusdam veris; ut videtur velle *philosophus in 8. topicorum*: quantum est tamen ex parte rei semper sunt vera probabiliora falsis. Vnde *philosophus in primo rhetoriconum* cum priùs dixisset, quod dialectica & rhetorica possint similiter sillogisare contraria: Postea subdit, quod res tamen subjecta non similiter se habeant;

licet enim dialetica & rhetorica possint sillo-
gisare similiter contraria: ipsa tamen res con-
traria non sunt similiter sillogisabiles. Sed ut
ibidem, dicitur semper vera natura sunt
meliora, & sillogisabiliora & persuasibiliora
ut vera sunt. Dicere ergo, quod fidē
probare non possumus, non est quod
fidei subjaceat, vel subiacere possit ali-
quod falsum; quia divina veritas, cui
ninitur fides, falli non potest: Sed hoc
est, quia fides est supra rationem: ideo
ad eam probandam omnes rationes hu-
manæ deficiant. Ideo Apóst. 11.
ad hebreos de scribens fidem ait, quod
fit argumentum non apprens. Est enim fi-
des credere quod non vides: & est de his
quæ rationi nostræ non apparent. Sed si
rationes in talibus deficiunt probantes
necessè est etiam quod deficiant impro-
bantes, quia, ut priùs diximus, sem-
per vera sunt persuasibiliora, & sillo-
gisabiliora falsis: &, quia rationes, quæ
fiunt contra fidem, non sunt supra ratio-
nem quia si supra rationem essent jam
rationes non essent.

Quare si tales rationes ductu ratio-
 nis procedant, & secundum rationem
 non supra rationem sint, & falsæ sint;
 quia contra necessitatem sunt: necessè
 est, ut defectivæ sint, & carum de-
 fectus possit per rationem conspicere.
 Quicquid ergo potest per hominem
 contra fidem viâ rationis dici, Totum
 potest ab homine rationaliter solvi.

HOC VISO volumus declarare
 secundum, videlicet, quod quamvis
 quicquid potest per hominem contra
 fidem, viâ rationis, dici, totum pos-
 sit ab homine rationaliter solvi: atta-
 men dicendum quod ab isto homine
 vel ab illo, sine spirituali dei influxu,
 possent solvi omnes, esset impossibile.
 Declarandum est igitur, ut hocappa-
 reat, quomodo intellectus noster se ha-
 beat ad veritatem? & quomodo ad ve-
 ritatem fidei?

AD VERITATEM quidem se ha-
 bet intellectus noster, quia est aptus
 natus venire in ipsam difficultatem ex
 posterioribus, & per hujusmodi sen-
 sibilia. Hoc autem ita patet; quia ani-
 ma nostra multum temporis ponit
 in ignorantia, & parum in scientia;
 multo enim tempore est ignorans, &
 modico sciens; ut vult *Philosophus inde-*

anima. Quod vero per hæc sensibilia,
& à posterioribus, in difficultatem ve-
niat patet: Quia nostra cognitio in-
*cipit à sensu, & deficiente sensu nece-
 sè est scientiam deficere, quæ secundū*
illum sensum est, ut declarari habet
in primo posteriorum. Si ergo se habeat
intellectus noster ut sit tenebrosus &
non expediatur ad percipiendam veri-
tatem etiam de istis sensibilibus sibi de-
relictus; multo magis erit talis ad per-
cipiendam veritatem eorum, quæ sunt
fidei, quæ ualde videntur his sensibi-
libus obviare. Quare si videamus om-
nes gentiles philosophos, ipsum etiam
Aristotalem, quem dicit commentator
fuisse regulam in natura, ubi natura, ut ait, Vnde gra-
viter errasse, & rationes sophisticas sophi.
ostendit ultimum suum posse, sic gra-
viter errasse, & rationes sophisticas sophi.
de æternitate mundi, & de numero
intelligentiarum, non scivisse solvere,
quid de his, quæ sunt fidei, dicemus?
Quod vero aliquis homo, sine divino &
speciali influxu, posset omnes ratio-
nes solvere factiles contra fidem,
constat non esse possibile. Quod enim,
ratio nostra, sic deficiens in intelligi-
bilibus, non adiuta spiritualiter per di-
vinum influxum in nullo deficeret, sed
omnes rationes falsas solvere non est
possibile: potest quidem cavere sibi
ab hoc defectu vel ab illo, & solvere
hanc rationem defectibilem, vel illam:
sed ut in nullo deficiat, & omnes ra-
tiones defectibiles & solubiles solvat,
esse non posse.

HIC ITAQVE declaratis, volumus 3 quod
 tendere, quod, posito quod aliquis propter hoc
 homo omnes rationes factas contra fi- non posset
 dem possit solvere, non propterea sufficienter
 hic homo vel ille possit sufficienter probare
 declarare vel probare ea, quæ sunt fi- veritatem
 dei: Nam cum dicitur quod solutio
 dubiorum sit manifestatio veritatis;
 Intelligendum est de rationibus pro- fidei.
 prijs, non extraneis: nam qui bene
 scit dubitare: est pene in propin-
 quo ut videat verum. Ille enim bene
 dubitat circa rem aliquam qui ex na-
 turæ rei videt difficultates, quæ inde
 possunt consurgere. Qui ergo tales
 difficultates sciret solvere sciret veri-
 tam aperire & probare. Sed si sint
 rationes extraneæ; cujusmodi sunt
 rationes ad probandum, quod astra
 fint

z. non ta-
men copi-
latim.

sint paria : quia non possumus ad hoc arguere ex ipsa natura rei; cum natura supercælestis corporis non subjaceat cognitioni nostræ , quantum ad numerum astrorum ibi existentium: unde argumenta ad hoc facta erunt logicalia & extranea : utputa , quod astra sint paria , quia numerus par videtur esse perfectus : vel quod astra imparia , quia iste impar est numerus, qui non dividitur : & astra , & alia super-cælestia corpora non possunt dividi , vel scandi , seu peregrinam impressionem pati. Qui enim mille talia argumenta solveret , nihil per solutiones hujusmodi sciret de veritate.

Quia omnes rationes sunt contra fidem , extranea sunt : tam pro quam contra fidem sunt extra nos & quomodo solutio dubiorum ut manifestatio veritatis?

Sic & in proposito, argumenta, quæ sunt contra fidem , extranea sunt : quia cum fides sit supra rationem: nulla ratio potest eam attingere nec probans nec inprobans: sed omnes tales rationes possunt dici extraneæ. Beati interea clarè videntes , quæ nos credimus , cum aliquid arguimus contra fidem, possunt deridere rationes nostras , & etiam deridere nos tanquam involentes sententias sermonibus imperitus. Igitur et si solveremus omnes tales rationes contra fidem factas , non poterimus sufficienter declarare & probare fideli veritatem.

AD ARGUMENTVM autem dicendum, quod omnes rationes factæ: contra fidem defectibiles sunt & solubiles ab homine. Sed non est possibile, quod iste homo, vel ille, sine speciali dei influxu , posset omnes tales rationes solvere, ut est per habita declaratum.

ARGUMENTVM etiam aliud, quo dicebatur, quod solutio dubiorum sit manifestatio veritatis, qualiter debeat intelligi , est etiam patefactum.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI OCTAVI

Vtrum intellectus agens pertineat ad imaginem Dei?

Ad Hanc questionem faciunt que habent commentatores sacra scriptura, ad caput i. Gen. veri. 21. & tractat eam cum ed spectantibus Aegidius ipse 2. d. 18, & specialiter quomodo imago Dei continetur in cognitiva potentia hominis q. 2. a. 3. & vid. cum l. de intellectu agente & possibili , & hujus purificatione item l. 2. Hexam. item Th. Argent. ibid. q. 1. D. Th. t. p. q. 77. & 93. a. 1. cu. suis. Scot. 2. d. 16. qu. un. Dur. q. 2. Octam. q. 24. Gabt. q. 1.

Aegidius verò hic ad modum imaginis in corporalibus , ubi ipsa lineamenta nuda vocantur subinde imago , subinde linea menta coloribus proportionatis perfecta , subinde & illud ipsum , in quo talia sunt ostendit tripliciter imaginem dici in spiritualibus ; ut scilicet vocentur imago Dei unde ipsæ potentiae animæ 2. eadem instructæ viribus & habitibus , 3. ipsissima anima vel homo , in quo sunt illæ potentiae & inde concludit , ut infra.



VARTO Quærebatur quoad creaturā rationalē quatenus pertinet ad Dei imaginē , & quærebatur: utrum, intellectus agens pertineat ad imaginem?

Et arguebatur quod non : quia imago dei in anima accipitur, ut dicitur, secundum memoriam intelligentiam , & voluntatem : sed nihil horum est intellectus agens ergo &c.

IN CONTRARIVM est. Quia memoria , intelligentia , & voluntas non sunt nisi duæ potentiae: nam memoria & intelligentia non sunt nisi una potentia , intellectus enim possibilis , ut species retinet , & ut est thesaurus specierum , dicitur memoria; ut autem per illas species intelligit dicitur intelligentia. Quare si debeat ponni imago Trinitatis in anima ; oportet ponere tertiam potentiam : sed in intellectiva , præter intellectum possibilem & voluntatem , non est nisi intellectus agens : pertinet itaque hujusmodi intellectus ad imaginem.

Præterea perfectione in anima accipitur secundum quod est in ea imago trinitatis: sed si potentia pertineat ad perfectionem: multò magis pertinebit actus, quare si intellectus possibilis pertineat ad imaginem , multò magis & agens.

RESPO-

R E S O L V T I O.

Imagine acceptâ primo modo, intellectus agens non spectat ad imaginem, bene tamen secundo & tertio: cum suppedite lumen, sine quo non potest intellectus pos-sibilis exire in actum intelligendi, quo perficitur anima.

RE SPONDEO dicendum, quod sicut imago tripliciter accipitur in corporalibus, proli neamentis nudis, pro ijsdem ut sunt colori bus ornata, pro ipso in quo ea con-tinentur. ut tabula. sicut in corporalibus multis modis, sic & in spiritualibus Primi modo in corporalibus ipsa lineamenta, absque eo quod sint debito colore perfusa, possunt dici imago; ut si secundum lineamenta depingeretur facies & statura hominis diceretur ibi esse imago hominis: & sic accipitur imago imperfecte. Secundo modo potest accipi imago in corporalibus, prout ipsis lineamentis superadditus est color: & sic accipitur imago magis perfecte: quia perfectio-ri modo repræsentatur imago hominis cum debitibus lineamentis, & debito colo-re, quam cum lineamentis tantum. Tertio modo potest accipi imago, non solum pro lineamentis & colore, sed etiam pro eo, ubi habent esse talia lineamenta & talis color: & sic tota tabula vocatur imago. Vnde Aug. 15. de trini. cap. 22. ait, quod *imago dicitur & tabula, & quod in ea pictum est: sed propter picturam, que in ea est & tabulam nomine imaginis appellamus.* Vult ergo quod nomen imaginis primo & principaliter dicatur de pictura: sed ratione picturæ dicatur imago ipsa tabula, in quam habet esse pictura. Attamen pictura potest sumi duobus modis; Vel incompletè pro lineamentis tantum: vel completem pro ipsis lineamentis, quibus additi sunt colores debiti.

Quare tripliciter sumetur imago in istis corporalibus; videlicet pro pictura incompleta; ut pro lineamentis: & pro pictura completa; ut pro lineamentis cum coloribus: & pro eo, ubi hæc sunt, ut pro tota tabula.

SIC ET tribus modis sumetur no-men imaginis in spiritualibus vi-delicet pro ipsis potentijis secundum se, & pro ipsis potentijis ut habent esse

perfectum: & pro tota anima, sive pro toto homine.

Primo ipse potentiae, sive ipsæ vires animæ ut memoria, intelligentia, & voluntas, ita videntur esse imago trinitatis, sicut lineamenta in corporalibus sunt imago ejus, cujus sunt linea-menta: nam sicut per hujusmodi lineamenta fit protractio nasi, & oris, & aliorum membrorum ejus, cujus describitur imago: Sic in hujusmodi viribus animæ sunt quæ-dam productiones & origines ad imitationem illius sanctæ trinitatis. Nam sicut ibi est à patre filius, & ab utro-que spiritus sanctus, qui est nexus potentijs utriusque; sic à memoria gignitur ali-quid in intelligentia, & ex utrisque procedit amor, ex utrisque habet habitus & esse actus voluntatis, qui est nexus ipsa animæ utriusque: quia per actum voluntatis vel hominem necitur proles parenti: nec titur enim per hujusmodi actum species genitura in intelligentia, cum specie gignente in memoria; ut patet per Aug. in multis locis *in libris de trini.* Solæ ergo hæ potentiae, sive hæ solæ vires, sunt hoc modo imago trinitatis; sicut sola lineamenta in corporibus merentur nomen imaginis.

Secundo modo accipitur imago in spiritualibus prout hæ vires perfectæ per debitos habitus & per debitos actus, dicuntur esse imago trinitatis. Gujus similitudinem reperimus in corporalibus, ubi lineamenta perfecta per debitos colores merentur nomen imaginis: Si enim lineamentis humanis apponenterur color equi non esset ibi plena imago hominis, sed quando lineamentis humanis apponitur color similis colori hominis: tunc habet ibi esse propria imago hominis: sic quia anima, cum convertit se ad ista inferiora assimilatur istis inferioribus; cum convertit se ad superiora assimiliatur superioribus; cum vires animæ sunt perfectæ per habitus & per actus, prout tendit in deum, sic potissimum reservatur ibi imago dei.

Tertio modo potest accipi imago pro eo in quo sunt hujusmodi vires, & habi-tus, & hujusmodi actus, quæ sunt per-fectiones virium sive potentiarum: sicut in corporalibus colores sunt perfectio-nes

nes linearum: & sic tota anima, in qua sunt ista, vel etiam totus homo dicitur esse imago dei, sicut & tota tabula dicebatur imago.

CVM ERGO quæritur, utrum intellectus agens pertineat ad imaginem? si loquamur de imagine primo modo, prout ipsæ vires animæ dicuntur imago, in quibus reperiuntur origines ad similitudinem originum in divinis; sic intellectus agens non pertinet ad imaginem. Sed si accipiatur imago secundo modo, prout illæ vires non sunt secundum se tantum, sed ut perfectæ per actus & habitus dicuntur imago: sic intellectus agens pertinet ad imaginem. Nam ut declarat *commentator in 3. de anima*. Sicut aer recipiendo species recipit etiam lumen corporale; sic intellectus noster possibilis recipiendo species rerum accipit & lumen intellectus intellectus possibilis cum aliquid intelligit. Quare si memoria, & intelligentia, id est intellectus possibilis, ut est perfectus per habitus & per actus pertineat ad imaginem secundo modo dictam, oportet quod intellectus agens pertineat ad hujusmodi imaginem; cum hujus lumen sit perfectio intellectus possibilis, prout exit in actum, in quem non potest exire sine specie, nec speciem potest recipere sine lumine. Sed si accipiatur tertio modo, prout tota anima, vel totus homo dicitur imago, sic etiam intellectus agens ad imaginem pertinere potest: nam quod tabula dicatur imago corporalis est ratione picturæ, & potissimè ratione picturæ perfectæ, sic quod tota anima dicatur imago trinitatis hoc est ratione virium; & potissimè ratione virium perfectarum, ad quarum perfectionem concurrit lumen intellectus agentis.

Quin & in ipsa etiam patria lumen intellectus agentis faciet ad perfectionem virium animæ: quia habitus sapientiæ, vel lumen supernaturale, quod erit in intellectu nostro, elevans ipsum ad visionem dei, presupponit lumen intellectus agentis, tanquam lumen naturale; ita quod intellectus noster possibilis per lumen intellectus agentis, tanquam per lumen naturale saltem materialiter, habebit quandam aptitudinem ad recipien-

*Primo in-
ell. agens
on dicitur
mago; bene-
amen z.*

*Sicut & ad
imaginem
pertinet 3
modo.*

*etiam in
patria.*

dum illud lumen supernaturale: Sic ut enim creatura rationalis, ex eo quod rationalis, est capax gratiæ (quia irrationalia gratiæ capacia esse non possunt propter quod esse rationale materialiter se habet ad gratiam: quia quod est tale, nisi præbeat obicem, est aptum natum suscipere gratiam) sic lumen naturale intellectus agentis materialiter se habebit ad illud supernaturale lumen. Ut etsi sit alia repugnantia in nobis, & sit obstaculum in nobis per peccatum, mediante tali lumine habebimus quandam aptitudinem materialem ad susceptionem illius luminis. Hoc ergo modo potest intelligi dictum *Aug. in primo confess. cap. 1.* quod ad deum facti sumus: & quod inquietū est cor nostrum donec requiescat in deo: quia existentes rationales, & habentes intellectuale lumen, possumus esse capaces gratiæ & gloriæ. Pertinet itaque intellectus agens ad imaginem modo quod dictum est.

CVM ERGO arguitur, quod illa tria pertineant ad imaginem, memoria intelligentia, & voluntas, quorum nihil sit intellectus agens, dici debet; quod illa tria pertineant potissimè secundum quod habent esse perfectum per actus & habitus; ad quorum perfectionem, & potissimè ad perfectionem per actus, requiritur lumen intellectus agentis: quia intellectus possibilis sine tali lumine in actum exire non potest.

ARGUMENTA etiam in contrarium facta non concludunt, quia, quocumque modo sumatur imago, intellectus agens pertinet ad imaginem: nam cum dicitur, quod illa tria non sint nisi duo, eo quod memoria & intelligentia non sint nisi una potentia; dici debet, quod intellectus possibilis, ut dicitur memoria, & ut intelligentia, licet sit una & eadem potentia, fortior tamen hoc nomen illud & illud, prout habet aliud & aliud officium. Non est enim idem officium retinere speciem, quod pertinet ad memoriam, & ex illa specie exire in actum, quod pertinet ad intelligentiam: & hoc sufficit ad hoc, ut memoria intelligentia, & voluntas sint aliquo modo tria, & ut aliquo modo repræsentent trinitatem

nitatem, quia non oportet esse omnia similia: Immò valde magna est differentia inter hanc trinitatem & illam. Dato tamen quod prædicta tria essent tres potentiae, adhuc magna esset differentia inter hanc trinitatem & illam: cum ibi trinitas non sint tres potentiae, sed tres personæ.

Quod autem arguebatur postea, quod si potentia pertineat ad imaginem, multò magis & actus; verum est de imagine perfecta, quia actus perfectus & *endilichia*, idem dicunt: sed non oportet, quod hoc sit de imagine imperfecta. Accipiendo ergo imaginem, prout præfata tria secundum se dicuntur esse imago, non oportet quod intellectus agens secundum hunc modum pertineat ad imaginem.

QVÆSTIO V.

QVODLIBETI NONA.

Vtrum Beati Videntes Deum forment inde verbum?

Tractant Hanc questionem *Ægidius de præsentatione de beat.* tom. 2. L. 11. q. 7. a. 3. D. Th. 1. p. q. 12. a. 2. & 9. cum Cajet. & Thom. Scotus quodl. 14. & 15. & cum eo Rada 1. tom. contr. 10. a. 2. 1. Mayro 1. d. 27. q. 1. Ball. q. 2. a. 3. Durand. ibid. Capreol. 4. d. 49. q. 5. Molin. 1. p. q. 12. a. 2. d. 1. Suar. de attrib. c. 11. Vsq. 1. p. d. 38. c. 2. Sal. tom. 1. q. 3. tr. 2. d. 7. f. 2. Bannes 1. p. q. 12. a. 2. d. 1. Conimbr. 3. de an. c. 8. q. 3. a. 4. & alij alibi passim.

Ægidius verò hic tractat iuxta partitionem factam sub initium textus.



VINTO Quærebatur de creatura rationali, prout est apta beatificari in deo & per deum: & erat, quæstio de beatis videntibus deum: utrum forment inde verbum? & arguebatur quod sic: quia, ut dicebatur, verbum pertinet ad imaginem: sed potissimum in beatis erit imago perfecta, ergo formabitur ibi verbum.

IN CONTRARIVM est, quia secundum Aug. verbum dicitur, quod jam inventum est, quod partum vel repertum dicitur, quod sœpe præcedit inquisitio.

Quare si sit verbum mentis, quod dicitur partus ejus, dicitur esse quid repertum, & quid inquisitum; sed quia ibi nulla erit inquisitio, nullus erit ibi talis partus, & nullum formabitur ibi verbum.

RESOLVITO.

Quia verbum requiritur, ut suppleat vices objecti absentis: Deus cum autem sit menti summè præfens, & intimus, quam ipsamet sibi: beati Videntes Deum non formant inde verbum.

RESPONDEO, dicendū, quod, quid, & ne laboremus in æquivoco, quomodo tractandū? Primo distinguemus de verbo: secundo declarabimus, ad quid requiratur verbum? Tertio ostendemus, quod in visione illa beata non formabitur à beatis verbum, quod sit realiter aliud à divina essentia: quarto declarabimus, quod ipsa divina essentia, ut est à beatis cognita in seipsa, aliquo modo sortiatur rationem verbi, & aliquo modo habeat ea, quæ dicuntur de verbo.

PROPTER primum, sciendum, quod verbum, quantū ad præfens spe-verbum ac-^{primo, quo}stat, possit accipi duplicitē. Primo tipiatur pro ipsa diffinitione rei; & sic pro-^{dupliciter} priè sumitur verbum: *Nam verbum, quod diffinitione rei foris sonat, signum est verbi, quod intus idque prolatet*, ut dicit Aug. 15. de Trin. cap. priè.

11. Sed constat, quod verbum, quod foris sonat, significet rationem formatam in mente, sive diffinitionem: quia ut dicitur in 4. metaphysicæ: *ratio, quam si-gnificat nomen, est diffinitione: si id, quod si-gnificatur per verbum exterius sit verbum in mente, & per verbum exterius significetur ipsa ratio & diffini-tio rei in mente concepta; consequens est, quod verbum mentis, de quo loquimur, sit ipsa diffinitione in mente concepta: quod expressè dicit Aug. 9. de tri. cap. 10. diffinitione, quid sit natu-ra? hoc est verbum ejus & Anselmus in lib. de grammatico, dicit quod *nomen animalis nihil aliud significat, quam substantiam animatum sensibilem*. Cum ergo substantia animata sensibilis sit diffinitione animalis, id quod significatur per nomen anima-*

O lis est

lis est diffinitio ejus : & quia hoc dicimus esse verbum , quod significatur per nomen , ipsa diffinitio concepta in mente interius meretur nomen verbi, quæ exprimitur per verbum exterius.

Secunda pro ipsa illa etione ed impropterea

ALIO MODO potest dici verbum ipse actus intelligendi: secundum quem modum etiam loquitur Aug. codem. 9. de Trin. cap. 10. ubi ait, *quod verbum est cum amore notitia*: ipsa ergo notitia , sive ipse actus intelligendi , ut habet esse quoddam perfectum , & ut ad hujusmodi actum sequitur amor & delectatio , meretur nomen verbi. Sed sic non accipitur verbum omnino propriè: nam verbum interius est illud , quod exprimitur , & significatur per verbum exterius : ut illud est verbum lapidis interius , quod significatur per hoc nomen , lapis , exterius: constat autem , quod , cum quis profert hoc nomen , lapis , non intendat significare potentiam intellectivam , per quam intelligit lapidem , nec speciem intelligibilem seu actum intelligendi , per quem intelligit lapidem : sed intendat significare conceptum illum , vel rationem illam , quam concipit in mente de la pide. Ratio enim , quam significat nomen , non est potentia intellectiva , nec species intelligibilis , nec actus intelligendi : Sed est ipsa diffinitio , ut per philosophum patuit. Attamen per hujusmodi diffinitionem , quæ propriè dicitur verbum , etiam ipse actus meretur nomen verbi. Imaginabimur equidem quod actus intelligendi sit quodammodo medius inter speciem quid mediæ intelligibilem & verbum : nam intellectus inter speciem in- actus habens apud se speciem progre- cell. & ver. dum pro- dūt in actum intelligendi , & for- mit verbum , in quo perfectè intelli- git , secundum quod format per- fectum verbum ; ita quod ipsum ver- bum formatum non sit ipse actus in- telligendi , sed sit illud , in quo intel- ligimus : ergo per actum intelligen- di intelligimus in verbo. Vnde non non intel- ligit per filium sed in filio : Nec intelligat per filio. Verbum ita quomodo que est id , in quo intelligimus , & ab istis ex- actus intelligendi quasi est medius in- tremis par- ter speciem & verbum. Et quia me- dium aliquo modo participat extrema,

consequens est quod hujusmodi actus tripliciter nominetur; vel nominabitur ut actus , & sic dicetur notitia: vel nominabitur , ut comparatur ad speciem , & sic dicetur species : secundum quem modum loquitur Aug. in pluribus locis dicens , *quod à specie , quæ est in memoria , gignitur species , quæ est in intelligentia*. Constat autem quod species genita in intelligentia à specie , quæ est in memoria , non sit nisi ipsa notitia , & ipse actus intelligendi. Secundum quam rationem actus intelligendi , ut comparatur ad speciem , meretur nomen speciei , & dicitur species genita in intelligentia. Par ratione , ut comparatur ad verbum , meretur nomen verbi. Ipsa ergo notitia cum amore & cum delectatione , id est , ipsa notitia perfecta , quam perfectionem habet in verbo , ideo dicitur verbum. Sicut ergo tabula dicitur imago ratione picturæ ; non quod ipsa tabula sit imago , sed quia habet in se picturam , quæ est imago : sic ipsa notitia dicitur verbum , non quod ipsa sit verbum ; sed quia habet esse in verbo : nam verbum est id , in quo cognoscimus , & in quo intelligimus. Inde est quod Aug. cum prius dixisset , *verbum esse diffinitionem* , postea dixit . *verbum esse notitiam*; quia notitia rei in eius diffinitione habeatur.

DISTINCTO , de verbo , volu-

mus declarare: ad quid requiratur ver- 2. declara-
tur, ad quid
requiritur
verbum
bum? Videtur enim quod propter idem requiratur verbum , propter quod requiritur & species: species autem ad hoc requiritur , ut suppleat vicem ob jecti : nam quia objectum non est præfens supplens ipsi menti , ut possit intellectionem ipsius causare in mente: ideo est ibi species vicem objecti , à qua spe cie fluit intellectio & notitia in mente. Propter hoc etiam requiritur verbum: nam quia res non est præfens ipsi menti , ut possimus videre rem in se ipsa: Ideo formamus nobis verbum , ut in verbo formato cernamus natu ram rei. Diffinitio ergo rei , sive verbum , non est nisi quasi quoddam speculum , in quo cernitur natura rei. Vnde Hugo super illo verbo , secundo cap. de Angelica hierarchia ; oportet primum ex- ponere

que est
quid mediæ
intelligibilem & verbum : nam intellectus
inter speciem in- actus habens apud se speciem progre-
dūt in actum intelligendi , & for-
mit verbum , in quo perfectè intelli-
git , secundum quod format per-
fectum verbum ; ita quod ipsum ver-
bum formatum non sit ipse actus in-
telligendi , sed sit illud , in quo intel-
ligimus : ergo per actum intelligen-
di intelligimus in verbo. Vnde non
non intel- ligit per filium sed in filio : Nec intelligat per
filio. Verbum ita quomodo que est id , in quo intelligimus , &
ab istis ex- actus intelligendi quasi est medius in-
tremis par- ter speciem & verbum. Et quia me-
diū aliquo modo participat extrema,

Vnde Pater ligimus : ergo per actum intelligen- di intelligimus in verbo. Vnde non non intel- ligit per filium sed in filio : Nec intelligat per filio. Verbum ita quomodo que est id , in quo intelligimus , & ab istis ex- actus intelligendi quasi est medius in- tremis par- ter speciem & verbum. Et quia me- diū aliquo modo participat extrema,

donere speculacionem hierarchie. Aut, quod operari expovere speculacionem, et est definitionem hierarchie. Et siibdit, quod ideo definitionem vocat speculacionem: quia definitio est quasi speculum, in qua rei natura cernitur, sicut in natura speculi compositionis corporis imago videtur. Species ergo, quæ supplet vicem objecti, multum habet de potentialitate, ideo non potest ibi periclitare cerni natura rei actus autem, qui procedit à specie: plus habet de perfectione: ad hoc ipsum verbum formatum est quasi quid plus perfectum. Vnde ex perfectione intellectualis naturæ est, quod formet verb. in quo cernit naturam rei.

3. declaratur, beatos
cōfōrmātō
re verbum
de Deo.

HABITO, quot modis possit sumi verbum & ostendo, ad quid requiratur verbum: volumus declarare, quod beati videntes divinam essentiam non formant inde verbum, quod sit realiter aliud ab ipsa essentia: nam, ut patet per habita, sicut requiritur species ad supplendam præsentiam objecti, quia non potest objectum, si ve i se ipsa, esse præsens intellectui, & caussare in eo intellectionem suipius, ideo requiritur ibi species, quæ supplet præsentiam objecti, & à qua caussatur hujusmodi intellectus; sic requiratur verbum, ut quia res non est præsens intellectui, possit videri natura ejus in se ipsa, & ideo formatur verbum, ut in ipso verbo, tanquam in speculo, cernatur natura rei: quare cum divina essentia sit intellectui præsens, sicut non indigamus alia specie, quæ causetur intellectus, sed ipsa divina essentia existens per seipsum præsens intellectui causat intellectionem suipius in ipso intellectu, sic in visione illa beata non formabitur verbum, quod sit realiter aliud ab ipsa divina essentia; sed hujusmodi divina essentia existens præsens intellectui videbitur in se ipsa.

quod often-
ditur 3. mo-
dis.

POSSEMVS autem triplicem rationem ibi tangere, quare in visione illa beata non formabitur verbum: quod sit realiter aliud a divina essentia. Prima ratio sumitur ex parte præsentiae objecti: secunda ex actualitate ejus. Tertia ex infinitate ipsius.

Prima autem ratio jam tacta est: Qui

enim posset videre rem ipsam in se ipsa, frustra adhiberet speculum, ut eam in speculo cernaret, & maxime si speculum à re ipsa deficeret. Iucus est si esset speculum, quod rem ipsam excelleret, & abi clarius videtur res, quam in se ipsa, cuiusmodi est speculum divinum, tibi clarius cognoscitur creatura, quam in se ipsa; ut vult *Ang. 9. de civi. dei cap. 19.* Sed si sit speculum à re ipsa deficiens, omnino frustra adhiberetur speculum ex quo adesset præsentia rei. Quod ergo verbum formatum esset quid creatum, & esset realiter aliud à divina essentia, frustra adhiberetur tale verbum, ut in eo tanquam in speculo, videretur divina essentia, cum hujusmodi essentia sit intellectui præsens, & videri possit ab hujusmodi intellectu in se ipsa. Ergo de præsentia rei simpliciter excedentis omne aliud speculum patet verum esse quod dicitur.

Secundo hoc idem patet ex actualitate rei. Dicebamus enim supra quod, quia res non est præsens intellectui, nec species est tantæ actualitatis, ut in ea possit completere res cerni, ideo formatur ibi verbum, tanquam aliquid perfectius; ut in eo, tanquam in quodam speculo, cernatur natura rei: si ergo species esset perfectè actualitatis frustra formaretur ibi aliud verbum: sed in ipsa specie rei essentia cernetur: quia ergo ibi non est alia species, sed ipsa divina essentia imprimet intellectionem suipius intellectui beatorū: & quia hujusmodi essentia est omnimodæ actualitatis, non formabitur ibi verbum aliud, in quo videatur talis essentia; sed in se ipsa videbitur.

Posset autem rationabiliter dubia- quamvis ri; cum Angelus intelligat se per essen- dubium sit tia suam; utrum in tali intellectione de Angelo se intellige- formetur verbum, quod sit aliud ab gente. essentia Angeli? Nam et si non requiratur ibi species, cum Angelus intel- ligit seipsum; sed ipsa essentia Ange- li existens præsens suo intellectui cau- set intellectionem suipius in hujusmodi intellectu: posset tamen aliquis dicere, quod formatur ibi verbum, quod sit aliud realiter ab hujusmodi essentia: quia essentia illa non est

tantæ actualitatis; quin possit formari verbum actualius ea. Quare tametsi in talibus forte rationabiliter dubitatur, quicquid sit de eis, quia non intendimus hanc difficultatem hic determinare; in visione tamen divinæ essentiæ, cum hujusmodi essentia sit omnino modæ actualitatis, non formabitur verbum, quod realiter ab ipsa differat.

3. ex im-
menitate
dei, ubi
ostenditur.

quomodo
ad intelle-
ctionem
concurrant
species,
actus lumé
verbum?

Tertia via sumitur ex immensitate divinæ essentiæ. Dicemus enim quod haec quatuor, quæ concurrunt ad intelligentiam rem aliquam; videlicet species: actus intelligendi, lumen & verbum, sic se habeant; ut species intellectum determinet, ut per speciem lapidis determinatè feramur in cognitionem lapidis: Actus intelligendi intellectum perficiat & in formet. Quod si dicatur, quod & species intellectum perficiat & informet: dicemus, quod hoc sit quodammodo per accidens: nam si essentia rei posset per seipsum esse in intellectu, absque eo quod de penderet ab intellectu sicut à suo sub jecto, non minus, imo magis causa ret intellectionem suipius in ipso intellectu, & faceret quicquid faceret species, & adhuc amplius. Nam sicut species lapidis cauſat intellectionem lapidis in ipso intellectu, & determinatè dicit in cognitionem lapidis; si essentia lapidis esset intellectui praefens, perfectioni modo cauſaret hujusmodi intellectionem: & non minus, imo magis determinatè duceret in cognitionem suipius, quam ejus species: quare si ipsa species lapidis posset esse in intellectu, tanquam aliquid per se existens, non tanquam inhærens intellectui, vel ab intellectu dependens, cum non sit ibi nisi ad supplendam vicem objecti, non minus cauſaret tam intellectum, & non minus determinatè duceret in cognitionem lapidis. Non autem sic est de actu intelligendi: quia de ratione ejus est quod intellectum perficiat & informet; est enim de ratione hujusmodi actus quod non sit transiens in exteriorem materiam, & quod non sit perfectio rei actæ: sed sit manens in agente, & sit perfectio potentiae intellectivæ.

Resumamus ergo verba & dicamus

quod species intellectum determinet: Actus intelligendi intellectum informet: lumen intellectuale intellectum confortet: verbum repræsentet ipsum intelligibile. Quare sicut nihil creatum propter infinitatem divinæ essentiæ, potest determinatè ducere in cognitionem ejus, ideo non ponimus ibi speciem: sed dicimus, quod ipsa divina essentia sui p̄ficius intellectionem caufet: sic, quia nihil creatum sufficienter repræsentare potest ipsam divinam essentiam, ideo dicimus quod non formetur ibi verbum, quod sit aliud à divina essentia, in quo essentialiter videatur, vel repræsentetur divina essentia; quia nulla creatura ad hoc potest esse sufficiens: sed ipsa divina essentia essentialiter videbitur & repræsentabitur in seipso: nam cum quatuor sint narrata, duo illorum; videlicet species & verbum, se tenent ex parte rei: ut ideo requiratur species, ut suppleat præsentiam rei: ideo verbum, ut in eo cernatur natura rei: quare ex quo divina essentia est talis res, quæ est intimior intellectui, quam intellectus sibi, non requiretur ibi species quæ suppleat præsentiam rei; sed ipsa videbitur per seipsum: Sic etiam quia hujusmodi divina essentia est talis res, quæ intellectui essentialiter non potest repræsentari in re aliqua, quam in seipso: Ideo ipsa videbitur in seipso. Erit ergo hujusmodi divina essentia id, quod videbitur; quia erit visionis objectum: & id, per quod videbitur: quia non videbitur per aliam speciem, quam per seipsum: & erit id, in quo videbitur non in verbo, quod sit res alia: sed videbitur in seipso.

HIS AVTEM omnibus prælibatis 4. declara-
volumus declarare quartum; videlicet. tur quod
Quod ipsa divina essentia habebit se sentia ha-
quasi verbum: cum enim dicimus quod beat se ut
in visione illa non formabitur verbum,
intelligimus de verbo quod sit realiter
aliud ab ipsa essentia divina: non
enim negamus quin in ipso divino
verbo possit videri & videatur divina
essentia: quia ipsum divinum verbum
non est realiter aliquid aliud ab ipsa
divina essentia. Ideo si in tali verbo
repræsentetur expressè divina essentia,
nihil

& ex eo cō-
cluditur in-
tentum.

quia vide-
tur in se
ipfa. nihil inconveniens dicendum; imo ne-
cessè est sic esse. Sed quod sit aliqua
creatura, in qua, tanquam in verbo,
essentialiter videatur divina essentia
dicimus non posse esse: sed ipsa divina
essentia videbitur in seipfa, & habebit
quoddammodo rationem verbi.

quomodo
dicatur
quid paru-
in mente
beatorum? DICIMVS equidem de verbo, quod
fit mentis conceptus: quod fit mentis
partus: & quod fit quid in mente
formatum. Concipere enim idem so-
nat, quod simul capere, vel simul ap-
prehendere: mentis autem partus
idem sonat, quod, à mente reper-
tum: Et quia divina essentia à beatis
in seipfa apprehendetur, in seipfa re-
perietur, se habebit ut quid conce-
ptum, & ut partum. Immo quia bea-
ti per actum intelligendi, qui erit
aperta via, tendent in deum: ideo
dicentur deum concipere in seipsis. Et
quia ad hanc apprehensionem, & ad
hanc reperitionem aliquid facit intel-
lectus, quia semper potentia est ali-
qua causa suæ apprehensionis, ex
hoc dicentur beati deum in seipsis
concipere, in seipsis capere, &
apprehendere, & deum in seipsis re-
perire.

QVOD SI quæratur, qualiter bea-
ti reperient deum in seipsis? Respon-
deo quod non quidem reperient ip-
sum in verbo, quod differat realiter à
divina essentia: sed divinam essentiam
reperient in se ipfa quare sicut verbum
dicitur conceptus mentis, quia in eo
capitur & apprehenditur natura rei:
si dicitur mentis partus, quia in ipso
reperitur, & repræsentatur natura rei;
& divina essentia in tali visione se habe-
bit quoddammodo ut verbum, quia
ipsa in seipfa apprehendetur, & re-
perietur. Sic & divina essentia non
solum habebit se ut verbum, quia erit
quid apprehensum, & quid repertum
in seipfa: sed etiam se habebit ut quid
formatum in nobis: prout loquitur
*apostolus ad galat. 4. cap. Filioli mei quos
iterum parturio, donec formetur in nobis
Christus.* id est donec in nobis formosus
appereat. Tunc enim hoc modo for-
mabitur in nobis deus: quia formo-
sus in nobis apparebit.

QVOD SI dicatur quod ad id ut
formetur in nobis, & ad id ut in no-

bis concipiatur & pariatur, aliquid ope-
rari intellectum necesse fit: Dicen-
dum, quod sufficiat, quod intellectus
noster aliquam causalitatis rationem
habeat supra ipsum actum intelligendi,
mediante quo divinam essentiam ap-
prehendet, reperiet, & formosam cer-
net: Ad quod ipsa divina essentia
se habeat quasi verbum & in nobis
dicatur poni, concipi, reperiiri, & for-
mari. Sicut enim dicitur deus alicubi,
quia incipit alicubi esse, qualiter non
erat; non per mutationem suam: sed
per mutationem factam in nobis: sic
dicitur in nobis concipi, apprehendi,
& formari: non per mutationem fa-
ctam in ipso; sed per mutationem in
nobis. Cum enim incipiet in nobis
esse visio aperta, per quam deum ap-
prehendemus, reperiemus, & formo-
sum videbimus; dicetur divina es-
sentiæ, modis prædictis, incipere esse in
nobis, & habere quoddammodo ratio-
nem verbi.

Ipse ergo deus erit id, quod se ha-
bebit ut quid conceptum ab intelle-
ctu nostro: & quod si possemus tunc
ipsum conceptum intellectus nostri per
nomen ex primere unum nomen impo-
neremus ei, & uno nomine nominare-
mus ipsum: tunc illud nomen, quod
foris sonaret, esset signativum & re-
præsentativum ipsius divinæ essentiæ,
quæ in mente concepta intus luceret.

CVM ERGO quæritur, utrum bea-
ti videntes deum forment inde ver-
bum, quod fit realiter aliud à divina
essentia? Si per verbum intelligamus
id, in quo repræsentatur, sicut non
erit ibi alia species, per quam videa-
tur; ita non erit ibi aliud verbum, per
quod repræsentetur. Sed si per ver-
bum intelligeremus ipsum actum in-
telligendi, vel ipsam notitiam intelle-
ctuam; Dicemus, quod erit ibi actus,
vel erit ibi notitia, per quam beati
videbunt deum, quæ erit res alia ab
ipsa divina essentia: quia hujusmodi
notitia informat & perficit intellectum,
tanquam aliquid inhærens intel-
lectui, quod divinæ essentiæ non pos-
set competere.

Ad argumentum dicendum, quod
verbum pertineat ad imaginem crea-
tam secundum quod dicit ipsam no-
titiam

titiam : sed prout dicit id, in quo re-
præsentatur divina essentia : sic non
erit verbum ibi aliquid creatum, sed
erit ipsa divina essentia.

ALIVD ETIAM argumentum plus
concludit quam debeat : nam videtur
concludere , quod nihil sit ibi tan-
quam verbum : patet autem quod ipsa
divina essentia se habebit ut quid
partum , & quid repertum , & quid
conceptum in intellectu & ab intelle-
ctu.

Et ad id , quod dicebatur, quod ibi
nulla erit inquisitio , quia simplici in-
tuitu videbimus deum ; dicendum,
quod non semper hujusmodi reper-
tum in intellectu habetur per inqui-
sitionem. Vnde Aug. ibidem signan-
ter loquens ait. *Quod partum, vel reper-
tum ab intellectu s̄epe præcedit inquisitio;*
non autem dicit quod hoc fiat sem-
per.

MEMBRVM III.

De creatura secundum se.

DISPVTA TIO

P R I M A.

De creatura intentionali.



OSTEA Quærebatur
de creatura in se : circa
quam quærebatur
dupliciter, in generali
& speciali. In gene-
rali etiam quærebatur
de creatura dupliciter
Quia erat quæstio de intentionibus,
& de rebus. De intentionibus autem
quærebatur dupliciter : primo quan-
tum ad principium susceptivum & pas-
sivum : & erat quæstio, utrum in-
tentiones causatæ in medio , vel in
aliquo susceptivo educantur de po-
tentia materiæ , vel de potentia sui
subjecti? Secundo quærebatur de hu-
jusmodi intentionibus quantum ad
principium activum & productivum;
& erat quæstio, utrum productivum,
& causativum talium intentionum sit
forma vel compositum?

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI DECIMA

*Vtrum intentiones causatae in medio vel in
aliquo susceptivo educantur de poten-
tia materiæ , vel de potentia
sui subjecti?*

Hanc quæsitionem decidi oportet juxta doctrinam
de speciebus , quam passim tractant omnes auctores
in primum d. 3. & prima parte q. 12, item Agi-
dius de præsentatione de Beat. Tom 2, l. 8. & Philolo-
phi, l. 2, de anima, vid. Conimbr. C. 6, q. 2. & l. 1, de
gen. c. 4, q. 4. item Thomam Huttado in præ curs. phi-
los. Contr. 1, m. 1, varijs, locis.

*Egidius verò hic tractat juxta parti-
tionem factam in textu.*



D PRIMVM autem
sic procedebatur ;
ostendebatur enim
quod hujusmodi for-
mæ intentionales edu-
cantur de potentia
materiæ : vel de po-
tentia subjecti: quicquid enim non fit de
nihilo dicitur educi de potentia ma-
teriæ vel subjecti : sed hujusmodi
formæ intentionales non fiunt per crea-
tionem ; quia tunc non fierent nisi
immediatè à deo &c

IN CONTRARIVM est : quia
quicquid non fit cum transmutatione, quid &
materiæ non educitur de potentia ^{quonodo} tractandæ
materiæ , formæ autem intentiona-
les non fiunt cum transmutatione ma-
teriæ ergo &c.

Præterea quæ educuntur de poten-
tia materiæ non possunt plura numero
simil esse in eodem subjecto : quia ha-
bitibus præsentibus in materia cessat
motus , ut dicitur in *primo de generatio-*
ne : cum enim educitus est calor de po-
tentia materiæ non potest in materia
fieri aliis calor numero. Quia præsente
calore in materia , cessat motus ad ca-
lorem: sed præsente intentione albi in
materia potest ibidem fieri alia intentio
albi : ergo hæ intentiones de potentia
materiæ non educuntur:

RESO-

R E S O L V T I O.

Cum ea, que educuntur de potentia subjecti, ante sui productionem, non sint in eo formaliter, neque inchoativè sed solum quia possunt in eo fieri: & esse in potentia materie patiatur magis & minus: dicendum est intentiones educi de potentia subjectiva medy, in qua erant quidem ante sui productionem; minus tamen, quam formæ aliæ materiales reales.

RESPONDEO dicendum quod primo videndum sit, quid sit esse in potentia materiæ? secundo declarabitur, quod in hoc sint gradus: quia aliqua dicuntur esse magis, aliqua minus in potentia materiæ. Tertio ex ijs duobus patebit veritas quæstionis, quomodo hujusmodi intentiones educantur de potentia materiæ? & quomodo non?

PROPTER primum sciendū quod dicamus aliquid esse in potentia agentis, non quod aliquid de illo sit in agente, sed quia possit ita agens agere ut illud faciat; Sic dicitur forma esse in potentia materiæ, non quod aliquid de forma sit in materia, secundum quod reprehenditur *Anaxagoras* ponens formarum latitudinem, vel, secundum quod aliquod moderni Doctores ponunt, inchoativum aliquid formarum in materia, quod vocant potentiam activam (Nihil enim de essentia formæ est in materia) dicitur tamen forma educi de potentia materiæ quia potest materia transmutari vel pati, ut sub forma fiat; sicut potest agens agere, ut formam in materia faciat: habet enim ipsa materia aliquem modum causalitatis respectu formæ, ratione cuius dicitur forma esse in potentia materiæ: nam nullum agens creatum, de cuius actione nunc queritur, potest aliquid facere non præsupponendo potentiam passivam, quæ non sit effectus ejus: omne enim tale agens præsupponit aliquam potentiam passivam, in qua recipiatur ejus actio. Quare, quia potentia passiva materiæ

primo, quo modo ali. quid dicatur esse in potentia agentis, non quod aliquid de illo sit in agente, sed quia possit ita agens agere ut illud faciat; Sic dicitur forma esse in potentia materiæ, non quod aliquid de forma sit in materia, secundum quod reprehenditur *Anaxagoras* ponens formarum latitudinem, vel, secundum quod aliquod moderni Doctores ponunt, inchoativum aliquid formarum in materia, quod vocant potentiam activam (Nihil enim de essentia formæ est in materia) dicitur tamen forma educi de potentia materiæ quia potest materia transmutari vel pati, ut sub forma fiat; sicut potest agens agere, ut formam in materia faciat: habet enim ipsa materia aliquem modum causalitatis respectu formæ, ratione cuius dicitur forma esse in potentia materiæ: nam nullum agens creatum, de cuius actione nunc queritur, potest aliquid facere non præsupponendo potentiam passivam, quæ non sit effectus ejus: omne enim tale agens præsupponit aliquam potentiam passivam, in qua recipiatur ejus actio. Quare, quia potentia passiva materiæ

non potest seipsum movere ad actum sine potentia activa agentis, dicuntur formæ, tanquam in causa, esse in potentia activa agentis: sic etiam quia ratio activa agentis creata, de qua nunc loquimur, nihil potest facere non præsupponendo potentiam passivam materiæ vel subjecti, dicuntur etiam formæ, tanquam in causa, esse in potentia materiæ; non quod materia aliquid cooperetur ad productionem formæ: sed solum quia patitur & transmutatur. Sic ut enim nihil de forma sit in agente secundum quod hujusmodi, sed ab agente; sic nihil de forma sit à materia, sed in materia: ergo sicut sunt in potentia activa, ita sunt in potentia materiæ tanquam in passiva.

ET EX hoc apparet quomodo dicantur formæ extrahi de potentia materiæ & educi: nam effectus in causa non est aliud quam sua causa: Effectus autem in causa non est sub essentia propria; sed sub essentia causæ: ideo effectus in causa dicitur latens in seipso dicitur patens. Forma ergo dicitur extrahit & educi de potentia materiæ: quia latebat ibi, vel erat ibi latens, non quod aliquid essentiæ formæ esset in materiæ ante introductionem ejus: sed dicebatur forma latere in materia, quia erat ibi, tanquam in causa: propter quod non videbatur, quia non erat ibi secundum essentiam propriam, sed secundum essentiam causæ: Sed facta in actu est patens: quæ Ideo dicitur quasi extracta & ad lucem adducta & patefacta. Vnde ipsi ponentes latitationem formarum quasi hoc somniabant: sed ad hanc veritatem expressam pervenire non poterant. Vnde & commentator in 12. metaph. ubi hanc materiam pertractat, ait, quod corpus calidum agens in aliud corpus non immittat calorem ab extra sed faciat calidum in potentia calidum in actu. Vnde & idem vult, quod formæ, quæ fiunt in materia, extrahantur de materia: propter quod ait, aliquo modo erant in materia: quia quicquid extrahitur de aliquo modo erat in eo, unde extrahitur. Ergo qualiter dicantur formæ de materia extrahi? Et qualiter dicantur in materia latere? Et quomodo habeant in

in potentia materiæ esse? est per habita declaratum.

z. quomodo magis & minus dicatur aliquid esse in materia? VISO, QVID sit esse in potentia materiæ. Volumus declarare, quod in hoc sit dare gradus. quia aliqua dicuntur esse in potentia magis, aliqua minùs: ita quod, quanto est necessaria major transmutatio, tanto, quæ sunt talia, magis sunt in potentia materiæ: quia magis sunt remota ab actu. Vbi vero modica vel nulla requiritur transmutatio materiæ, minus sunt in potentia materiæ: & quasi in talibus videtur agens totum facere: sunt enim talia multum propinqua actui, quia cum modica vel cum nulla transmutatione materiæ statim ad præsentiam activi fit forma in passo. Et inde est, quod Philosoph. distinguens de potentia, dicit, aliqua esse in potentia essentiali, aliqua accidentalis. In essentiali quidem potentia sunt, ad quæ necessaria est multa transmutatio, ut fiant in accidentali vero, ad quæ modica vel nulla necessaria est hujusmodi transmutatio. Ea ergo quæ sunt magis in potentia essentiali, plus habent de potentialitate, & sunt magis in potentia: quæ autem in accidentalis plus habent de actualitate, & sunt minùs in potentia.

3. quomodo de ea educatur? HIS ITAQVE declaratis, patet veritas quæsiti quò queritur: utrum formæ intentionales educantur de potentia passivi? Patet inquam quod quia agentia in casibus præsupponunt potentiam passivi, & non possunt agere non præsupposita tali potentia, potentia passivi habeat aliquam rationem causalitatis, etiam respectu formarum intentionalium: non quod aliquid de forma intentionalis sit in ipso passivo ante generationem talis formæ: sed Eo ipso quo potentia passiva præsupponitur ad generationem talium formarum, possunt dici intentionales formæ educi de potentia passiva. Verum quia passivum est valde in potentia activi ad susceptionem formarum intentionalium; ita quod statim ad præsentiam activi in instanti fiant hujusmodi intentiones in passivo, ideo tales formæ non tam dicuntur esse in potentia passivi quam formæ reales, ubi necessaria est multa transmuta-

tio materiæ: & quia minus sunt in potentia passivi, & plus in potentia activi formæ intentionales, quam reales, non inconvenienter per comparationem ad formas reales, quæ plus sunt in potentia essentiali, possunt dici intentionales formæ non educi de potentia passivi. Verba ergo Doctorum in hac materia, quia utroque modo aliter & aliter possunt habere veritatem, sunt exponenda non impugnanda.

AD ID vero, quod obijcitur, quod tales formæ non sint per creationem: *solvuntur argumenta* Dici debet, quod illa sint per creationem, ubi tota ratio facti est potentia facientis: ita, quod si requiratur in talibus potentia passiva, hoc non fit ratione facientis, quasi ipsum faciens præsupponat aliquid quod non sit effectus ejus: sed ratione facti, ut quod forte factum est tale quod indiget susceptivo; Sicut gratia indiget anima, vel aliqua alia intellectuali natura. Nihil est ergo per creationem, ubi agens præsupponit aliquid quod non fit effectus ejus.

Generatio autem formarum intentionalium non est per creationem, nec in talibus tota ratio facti est potentia facientis: quia agens in productione hujusmodi formarum præsupponit passivum, quod non est effectus ejus, & hoc sufficit ad destruendum, & probandum, quod non sint talia per creationem.

ARGVMENTA etiam in oppositum non concludunt: nam cum dicitur, quod talia fiant sine transmutatione materiæ, non propter hoc concluditur, quod nullo modo educantur de potentia materiæ, & quod nullo modo materia habeat rationem causalitatis respectu talium formarum: sed solum arguitur quod tales formæ non sint sic in potentia, sicut formæ reales, quæ educuntur in esse cum transmutatione materiæ. Propter quod simpliciter, & per omnem modum possunt dici intentionales formæ non educi de potentia materiæ: respectu tamen formarum realium, eo quod non sunt simpliciter in potentia essentiali materiæ formæ intentionales, sicut reales, possunt dici de potentia materiæ non educi.

Quare in- QVOD VERO addebatur, quod
tentio- quæ educuntur de potentia materiae
plures ex dē non possint plura numero esse in
numero possint esse eodem subiecto; dici debet, quod, quæ
in codem subiecto; educuntur de potentia materiae cum
transmutatione & motu, non possint
eadem numero esse in eodem subiecto:
quia quæ sic fiunt, naturaliter, sunt
à contrariis in contraria: ut patet ex
primo phisicorum & ex 12. metaphysicæ,
quod omnes generationes hujusmodi sunt ex
contrariis in contraria. Inde est igitur quod
postquam calor inducitus est in mate-
ria, non sit ulterius materia in poten-
tia ad calorem: quia calidum, secun-
dum quod hujusmodi, non contrariatur
calido: propter quod calidum, secun-
dum quod hujusmodi non movetur ad
calorem; imo præsente calore cessat
motus ad formam calidi: motus ergo
ad calorem vel est ex frigido in ca-
lidum: vel ex minus calido in magis
calidum: nam sicut illud est albius
quod nigro est impermixtius ut dici-
tur 3. topico: propter quod minus
potius qua forma rea- album, ratione permixtionis nigri, ha-
les?
bet quandam oppositionem ad magis
album. Sic sciendum est, quod istud
sit calidius, quod frigido est impermix-
tius, propter quod minus calidum
ratione permixtionis frigidi eo modo,
quo in talibus potest esse permixtio,
oppositionem habet ad magis calidum:
quare siue fiat motus à frigido in ca-
lidum, siue à minus calido in magis,
semper sit motus quodammodo à con-
trario in contrarium. Quod ergo ma-
teria existens sub forma caloris non
intendatur in esse calidi: sed susci-
piat aliam formam caloris, non est pos-
sibile naturaliter: quia tunc non esset
processus ab opposito in oppositum.

Est autem & alia ratio quarē ma-
teria existens sub forma caloris non
possit moveri naturaliter ad aliam for-
mam caloris: quia agentia naturalia,
quantum ad formas reales, ita sunt cau-
sa ipsius fieri: quod non sint causa
conservationis in esse: calidum enim
ita est causa, quod fiat calor in ma-
teria, quod corrupto calido non opor-
teat quod tollatur calor inducitus in
materia. In talibus ergo veritatem ha-
bet quod dicitur in 7. metaphysica, Quod
materiam sub- jecti. forma non dividitur, nisi per materiam:

ideo enim est hic calor alias numero
ab illo calore: quia habet esse divisum.
siue diversum ab illo ratione mate-
riæ; ut quia est in alia parte materiae:
quare per suum subjectum formæ
reales conservantur in esse: & in hoc
non habebit forma realiter aliud &
aliud esse, nisi quia est in alio & alio
subjecto.

Formæ ergo reales differentes secun-
dum se, & formaliter non habentes
repugnantiam ab invicem, possunt esse
plures in eodem subiecto: sed formæ sic
non differentes solo numero, plures
in eodem subiecto esse non possunt:
quia numeratio non accidit eis nisi ex
parte subiecti, in quo fundantur. Sic
autem est in formis realibus, ubi non
est processus nisi à contrario in con-
trarium: eo quod producantur in esse
per transmutationem materiae, & ubi
est numeratio & conservatio in esse
per subjectum. Sed formæ intentionales
producuntur in esse absque trans-
mutatione materiae; & quia conser-
vantur in esse per sua agentia; ideo
postquam materia suscepit hanc for-
mam intentionalem potest suscipere
aliam intentionalem formam, saltem
numero differentem, In talibus enim
non requiritur transmutatio dicto mo-
do: sed sufficit sola præsentia agen-
tis ad passum, ut suscipiat passum in-
tentionaliter similitudinem ejus: qua-
re si diversa alba sint præsentia ei-
dem medio; corum quodlibet impri-
met suam similitudinem in medio, &
erunt diversæ intentiones albi in ea-
dem parte medijs solo numero differen-
tes: conservantur etiam tales for-
mæ intentionales per sua agentia;
ideo, licet sit unum subjectum & unus
medium, tamen, quia hoc album
produixerat suam similitudinem in hac
parte medijs, & hoc album suam simi-
litudinem in eadem parte medijs,
erunt diversæ intentiones solo nume-
ro differentes, retinentes suam diver-
situdinem numeralē propter ipsa agentia,
per quæ conservantur in suo esse unde
perspectivus probat, quod à diversis lu-
minaribus sint diversæ illuminationes
in medio solo numero differentes.

Nec valet quod quidam dicunt, quod
materia jam activata non possit ulterius

activari, quia nulla forma etiam realis habet rationem talis; ut albedo in materia non habet omnem rationem albi: & quia materia licet successivè sit in potentia ad diversas formas numero: nulla tamen forma, secundum suum genus formæ potest activare materiam omni modo, quo activabilis est. Si tamen posset esse albedo separata, quæ haberet omnem rationem albi, & illa posset fieri perfectio materiae: consequens esset quod hujusmodi albedo activaret materiam quantum ad esse albi, omni modo quo activabilis esset: nulla autem alia albedo potest sic activare materiam. Non solum enim facit ad perfectionem materiae quod successivè nunc sit sub forma hujus alibi, nunc sit sub in quatuor forma illius. Albedo eisdem in materia non habet omnem rationem, nec proceditur à contrario in omne esse albi: & ideo nulla talis contrarij. potest activare materiam, etiam secundum esse albi, omni modo, quo activabilis est. Quare quod materia existens sub forma alibi non possit moveri ad formam albi, causa non est quod sit activata, quantum ad esse albi, omni modo, quo activabilis est, quocumque modo, & per quodcumque agens: sed quia non inducitur albedo, nisi per transmutationem materiae, & transmutationes non fiunt, nisi à contrarijs in contraria; ideo existens sub forma alibi non movetur ad hujusmodi formam, quia talis motus non esset à contrario in contrarium: Rursus etiam quia formæ reales conseruantur in esse materiali per suum subiectum, ideo in eodem subiecto numero plures tales formæ solo numero differentes esse non possunt. Sed intentionales formæ quia fiunt sine transmutatione materiae ad solam præsentiam agentis: quia conservantur in esse per sua agentia, ideo plures formæ intentionales non est inconveniens esse in eadem parte medij.

EX hoc patere potest, quomodo Deus diversas formas reales solo numero differentes possit inducere in eadem parte materiae: nam quia ipse Deus potest agere sine præcedente transmutatione & motu, quia posset formas, quantumcumque reales, inducere magis

conservare in esse suo numerali, quam quæcumque alia agentia possint conservare in hujusmodi esse intentionales formas: quod si agentia alia plures intentionales formas solo numero differentes in eadem parte medij possunt inducere, multò magis poterit hoc Deus de realibus formis.

AD FORMAM autē arguendi, cum dicitur, quod quæ educuntur de potentia materiae non possint plura numero esse in eadem parte materiae; dicendum esse verum si hoc fiat naturaliter, & fiat per transmutationem & motum: agens autem intentionale, facit ea in medio sine transmutatione & motu: non enim oportet, per se loquendo, quod transmutetur materia ad inductionem talis formæ, sed sufficit præsentia agentis ad passum.

QVOD SI ulterius arguatur, quod si hujusmodi intentionales formæ nō inducantur in esse per transmutationem subiecti, quod nullo modo educantur de potentia passivi: dici debet, ut patet per jam habita, posse dici educi de potentia materiae, quæ non educuntur in esse per transmutationem materiae: licet talia non sint ita in potentia essentiali materiae, sicut illa, quæ inducuntur per transmutationem & motum. Propter quod intentionales formæ per comparationem ad reales, quæ magis sunt in potentia essentiali materiae, possunt dici non educi de potentia materiae: quod dictum verum est per respectum ad reales formas, non autem absolutè, & per omnem modum, ut est per habita declaratum.

QVÆSTIO II.


QVODLIBETI XI.

Vtrum formæ intentionales producantur à sola forma? ab à tato composito?

Hanc questionem decidi oportet ex ijs quæ habet. Egidius locis à te hic citatis, item ex ijs quæ habent Auctores de productione speciei sensibilis l. 2. de anima c. 7. q. 5. videatur Comitbricensis ibid. Thomas Huttado in precurs. Phili. contr. 1. M.V. ubi varios citat

Egidius vero hic tractat eam iuxta ordinem & partitionem in textu positam.

SECVN.



ECVNDO Quærebatur de formis intentionibus quātum ad principium productivū; utrum in talibus dicatur agens forma, vel compositum?

Et arguebatur quod compositum: quia sic videtur color, quod pars dextra videatur ut dextra, & sinistra, ut sinistra, ut perspectivus probat: sed dextrum & sinistrum non potest competere colori, nisi ratione subjecti: non ergo ipse color tantum, sed totum compositum est illud, quod inducit intentionales formas.

IN CONTRARIVM est, quia illud agit formam intentionalem in visum, quod videtur à visu: sed ipse color videtur à vitu: ergo &c.

R E S O L V T I O.

Cum ex effectu cognoscatur causa, & cum in productione specierum generetur partim forma, partim compositum: etiam dici debet, eas produci partim à forma, partim à composito.

RESPONDEO dicendum, quod ex ipso effectu debeamus arguere de agente, & ita, quod ubi fit compositum, generans sit compositum: ubi autem fit forma generans sit ipsa forma. Hoc enim modo arguit *philosophus in 7. metaphysica contra Platonem* ponentem separatas ideas deservientes ad scientiam & ad generationem: quod materialia non nisi à materialibus generentur: quia non est generatio, nisi ipsius rei materialis, & ipsius compositi; ideo generans est quid materiale, & quid compositum: non est autem forma separata, ut probabat *Plato*. quod verum est in omnibus alijs à proposito: solus autem Deus, quamvis sit omnino immaterialis, potest inducere materialem formam: nihil autem aliud à Deo, si sit immateriale & incorporale, potest inducere materialem & corporalem formam, nisi mediante aliquo corpore: ideo probat *Aug in 13.*

nihil immateriale,
præter Deū,

poteſt pro-

ducere ma-

teriale.

de Trin. cap. 7. quod nihil faciunt Angeli in productione rerum, nisi per adhibitionem feminum, conjungendo activa passiva. Et in 2. super genef. Ad literam. vult quod, hoc faciunt Angeli in productione rerum, quod faciunt agricultores in productione arborum. Excepto ergo primo agente, quantum est ex parte actionis, res materialis & composita non fit nisi à re materiali & composita. Videndum est ergo in generatione formarum intentionalium: utrum generetur forma, vel compositum? si videre velimus, utrum agens ad tales generationes sit forma vel compositum? Hoc autem ordine procedemus in hac quæstione: quia primo ostendemus, quod id, quod generatur in generatione formarum intentionalium sit aliquo modo forma. Secundo declarabimus, quod licet aliquo modo concedi possit, quod generatum in talibus sit ipsa forma; simpliciter tamen sit ipsum compositum. Tertio descendemus ad veritatem quæsti, quomodo agens ad generationem talium sit forma? Et quomodo compositum?

PROPTER PRIMVM sciendum, generans quod generatio formæ intentionalis, quantum ad præsens spectat, in tribus differat à generatione formæ realis: Primo quia in generatione intentionalium generatur forma sine propria materia. Secundo quia generatur sine contrarietate materiae. Tertio quia generatur sine distractione & impedimento materiae.

Dicitur enim intentionalis forma generari, sine propria materia, ut intentio coloris generatur sine propria materia, & sine proprio subjecto coloris: nam color, ut patet ex lib. de sensu & sensato, est extremitas perspicui in corpore terminato: corpus ergo terminatum est proprium subjectum coloris: quia ergo intentio coloris generatur in corpore dyaphano, ideo dicitur hujusmodi intentio generari sine proprio subiecto, & sine propria materia coloris. inde est quod dicat *philosophus in 2. de anima*, quod hoc est commune omni sensui, quod sit susceptivus specierum sine materia, sicut cera suscipit formam sigilli sine materia sigilli, ut sine cupro. Si enim homo generet hominem, facit quod indu-

inducatur forma hominis in propria materia humana : potest enim contingere , quod una materia sit magis propria formæ, quam alia; ut fortè materia rara est magis propria ignis, quā densa. Tamen semper material oportet esse aliquo modo propriam ipsi formæ; quia actus activorum sunt in paciente bene disposito : sed sicut non est inconveniens, quod materia propria uni formæ nullo modo sit propria alijs, sic non est inconveniens , quod materia propria formæ , ut habet esse intentionale, sit omnino extranea illi formæ , ut habet esse reale : sicut corpus dyaphanum & purum potest esse propria materia vel proprium susceptivum formæ coloris , ut habet esse intentionale , quod est omnino quid extraneum hujusmodi formæ ut habet esse reale. Nam primum susceptivum formæ coloris, secundum reale esse, non est corpus, dyaphanum & pervium : sed corpus, quod est terminativum visus. Diffinitur enim color, tanquam per proprium subiectum , quod fit extremitas perspicui in corpore terminato.

Secundo.

Differunt autem generatio formæ intentionalis à reali, non solum , quia sit hujusmodi generatio, vel saltem esse potest, sine propria materia ; sed etiam quia sit sine contrarietate materiae: nam formæ , prout habent esse intentionale, vel saltem sic esse possunt, sibi invicem non contrariantur : aliter enim se in esse impedient. Necesse esse equidē in eodem punto medij esse speciem albi & nigri , & secundum intentionem fortem , & diametralem ; ut in eadem domo, ubi sunt duo parietes, unus albus & alias niger, oportet quod color albus multiplicet se per totum , & etiam niger: aliter enim non posset defiri ad oculum color albus impediente nigro , vel è converso: nam si illi duo parietes , quorum unus est albus & alias niger , sint Angulariter conjuncti , & sint duo oculi quorum unus dyametaliter respiciat parietem album & alias nigrum: hac Hypothesi stante: scilicet quod intentiones contrariorum colorum se invicem impediunt; si color albus, multiplicaret se ad oculum dyametaliter sibi oppositum, impediatur multiplicatio coloris nigri , ut

oculus alias non posset videre colorem nigrum , vel è converso , ita quod uterque oculus non videret colorem sibi oppositum : cum ergo ad sensum appareat contrarium : quia duo parientes Angulariter conjuncti , quorum unus est albus , alias niger , videntur à duobus oculis dyametaliter illis oppositis : cogimur ergo dicere , quod intentiones contrariorum colorum sibi invicem non contrariantur, sed in eadē parte medij esse possint.

Tertio.
Differt nihilominus generatio hujus formæ à generatione illius, quia generantur hujusmodi formæ sine impedimento & distractione materiae ; in generatione enim realis formæ materia propter sui indispositionem impedit & distrahit , ne omnino passum assimuletur agenti , ut non omnino filius assimuletur patri : sed in generatione formarum intentionalium non est impedimentum materiae , ut apparet in imagine apparente in speculo, ubi , si bene factum sit speculum, tanta est similitudo imaginis ad illud, cuius est imago , ut nec filius patri , loquendo de filio carnali , nec aliquis homo alteri tantam similitudinem habeat

VISO, QVOMODO differat generatio formæ intentionalis à reali? volumus declarare , qualiter concedi possit , quod in talibus generetur ipsa forma? nam susceptivum formarum intentionalium dicitur esse susceptivum formæ sine materia : quia sicut hoc suscipit generationem formæ , sic illa forma generatur, & si hoc dicatur ^{z. quomodo} suscipere formam sine materia , dicitur fieri generatio formæ sine materia , rursus si fit generatio formæ intentionalis sine contrarietate materiae , quia forma in materia contrarietatem habent; Formæ autem non in materia non propriè contrarietatem habent : quia contraria sunt apta nata fieri circa idem: & ex hoc aliqua sunt contraria prout se impediunt circa idem: formæ intentionales aliquid participant de modo immaterialitatis, quia se non impediunt circa idem. Prout ergo una forma intentionalis non habet privationem annexam alterius ideo hujusmodi in-

hic gene-
rentur for-
mæ & con-
sequenter
generentur
formæ?

di intentionales formæ aliquid de immaterialitate pertificant: & prout pertificant de immaterialitate dicitur in eis generari forma sine materia.

Hoc etiam modo quia generatio talium formarum est sine impedimento & distractione materiae; ideo videntur tales formæ ad quandam immaterialitatem accedere; & per consequens, generatio talium intentionum videtur esse generatio formæ sine materia. Quare, sicut quia tales formæ, quia sunt sine transmutatione materiae, ideo dicuntur non educi de potentia materiae, ita quia sunt sine propria materia, & sine contrarietate, & distractione materiae, ideo dicuntur fieri sine materia: & sicut ipsum genitum potest dici forma sine materia, sic & ipsum generans potest dici forma, agens enim assimilat sibi passum: propter quod si id quod generatur est forma, & id quod generat, erit ipsa forma. Hinc est ergo, quod, quia talia possunt concedi de ipsa forma in quodam tractatu nostro de numeratione intellectus possibilis in 2. cap. ubi declaratur positio commenti, diximus, quod intentionales formæ non educebantur de potentia materiae: quod hujusmodi formæ ipsæ secundum se generentur. Et quod ipsa forma sit generans talium formarum. Quod quomodo materialitatem habeat? potest esse per habita manifestum. Dicta enim in 2. cap. illius tractatus magis dicta sunt secundum probabilitatem, quam secundum veritatem: unde & in fine illius secundi capituli dicitur, quod ibi dicta calumniam habeant. Quod si tamen vellemus ista ad veritatem trahere, vera sunt, quæ modo diximus.

Eo ergo modo, quo loquitur philos. quod *sensus fit susceptivus specierum sine materia*, possumus & nos loqui, quod in generatione formarum intentionalium generetur forma sine materia: & qua ratione res genita est ipsa forma, erit etiam res generans ipsa forma. Generatur ergo in talibus forma sine materia, non simpliciter, sed generatur sine materia propria, vel generatur sine materia: Quia generatur sine contrarietate quam habent formæ in materia, vel

generatur sine materia: quia generatur sine distractione & impedimentoo materiae: simpliciter tamen generatio talium est generatio formæ in materia: propter quod etiam in talibus potest dici generari ipsum compositum propter quod etiam dici poterit, quod & generans sit ipsum compositum.

HIS ITAQVE declaratis, volumus descendere ad veritatem quæfici. dicemus quidem, quod generatio talium formarum, absolute loquendo, fiat cum materia: quod tripliciter appetit: primo quidem, quia non est simpliciter sine materia. Secundo, quia est secundum conditiones materiae. Tertio quia est secundum situationem partium materiae. Non enim fit hujusmodi generatio sine omni materia: nam & consequenter, non fiat in materia propria, quomodo fit tamen in materia extranea. Vnde generentur intentiones colorum, ut vult commentator in libro de anima, non habent esse naturale, sed extraneum, quod sic intelligendum est: quia non sunt tales intentiones in materia propria & naturali ipsi colori, cuiusmodi est corpus terminatum; id est corpus, quod est terminativum visus: Sed sunt in materia, quæ est extranea ipsi formæ coloris, cuiusmodi est materia pura & dyaphana. Rursus generationes talium formarum non sunt sine materia: Quia sunt cum conditionibus materiae, recipitur enim talis forma hic & nunc. Est etiam & tertio generatio talium formarum cum materia, quia est secundum situationes partium materiae: ut si coloratum aliquod imprimat suam intentionem in medio, prius dextra illius colorati impressionem dyametram & fortem faciet in dextra parte medij, & postea sinistram: quæ omnia arguant, generationem talium formarum esse generationem cum materia.

AD ARGUMENTVM in oppositum dicendum, quod cum dicitur, quod ipse color videatur in corpore: unde color est ratio quare coloratum videatur, Sicut calor est quare calidum agat; ipsum tamen calidum agit. Non tamen hoc sic intelligendum est, quod non plus color